1

SCYLACENORUM

ANTISTITUM

ACCURATA SERIES CHRONOLOGICA

A U C T O R E

DOMINICO FEUDALIO

PRESBYTERO ISCANO

Humaniorum litterarum in Scylaceno Seminario Præceptore.

BIBLIOTECA NAZIONALE NAPOLI

N E A P O L I

Apud Vincentium Vrſinum

MDCCLXXXII.

SERAPHINO FILANGERIO

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

ORDINIS S. JANUARII EQUITI,
ET CANCELLARIO
ET CONSTANTINIANI ORDINIS
PRIORI

DOMINICUS FEUDALIUS

Amplitudini ejus devotiſſimus.

SI verum eſt, quod Plutarchus ſcripſit his verbis: *virum perfectum neceſſe eſt & cognitione rerum inſtructum eſſe, & aptum ad facien-*

cien-

ciendum in rebus humanis officium; quemnam hac in re, Excellentiſſime Antiſtes, Te potiorem invenirem, cui tenuem hunc meum nuncuparem laborem? Quantulum hanc rem poſſum animadvertere, in Te quidem ea inſunt ornamenta: nam ex duplici cauſa illa proveniunt, (nec me fallit opinio, nec auribus obſecundo tuis) quam Tu ſortitus es nobilitatem; altera, quæ ex imaginibus, quibus flores quam qui maxime, originem traxit ſuam, altera vero, quam Tuis laboribus enixe comparare ſtuduiſti. Omnino cuinam non hoc notum? Hoc ipſa fatebitur juventus, quae de rebus philoſophicis Neapoli in regio Archigymnaſio admirabili per Te edocta eruditione, quantum pro Tua dexteritate profecerit, difficile quidem eſt declarare. Sed quid
hac

hac de re verbis opus eſt, ſi omni ſcientiarum genere, quæ in hac immenſa rerum univerſitate cognitæ ſunt, ſatis ſuperque inſtructus, Te, præ ceteris, hoc ipſo illuſtriorem reddidiſti, ſic ut hac tempeſtate abſolutiſſimum ſis cuique ordini exemplar? Illud vero nec ſatis ſcio, nec ſi ſciam, decidere auſim, hæc ne Tua doctrina, an ſingularis, qua Tu armatus es prudentia effecerint, ut ab Auguſto Rege noſtro Ferdinando fueris Panormitanæ Eccleſiæ electus Epiſcopus. Ego vero dicerem, neutram ſeorſim, utramque id una effeciſſe. Quum enim conſtet, alteram ſine fideli alterius ope nequaquam ſatis fuiſſe Tibi futuram Panormi illis quidem temporibus de re politica ſat periculoſis, quibus Tu mirando modo

pa-

Digitized by Google

pacem, atque tranquillitatem civitati ſervaſti, dubitare non poſſumus, quin ambæ impio quorumdam conſilio fuerint impedimento. Sed ſunt magna hæc quidem: verumtamen quæ Tu in Neapolitana principe hujus Regni Eccleſia, in quam pro tua maxima virtute translatus es, tum ad clericorum ſanctitatem, tum ad mirum ejuſdem regimen quotidie geris, ea reipſa majora ſunt. Id vero maxime mirandum eſt, ea viri perfecti ornamenta, quæ in Te inſunt, toti etiam generi Filangerio, quod ſane quam antiquum eſt, quaſi inſita eſſe, adeo ut ſint eidem hereditaria. Etenim quale omnium virtutum exemplar in Tereſia Filangeria fratris filia, principe Satriani femina ſuis rebus præclaris excellen-

lentiſſima quaſi omnes Brutii non admirantur, ſic ut volentes eas ſane imitari non valeant? Si enim ſuam in Deum, Deique Sanctos ſpectemus pietatem, nihil mea quidem ſententia, poteſt accedere: ſi in pauperes largitatem, dubito cum primis ne eam comparare, an ei neminem debeam præferre: ſi modeſtiam, ſpeculum quidem eſt omnibus clariſſimum: ſi prudentiam, digna ſane eſſet, quam omnes imitarentur. Quid de fratris filio Cajetano, juvene doctiſſimo dicemus? Is enim præterquamquod ſummis hoc tempore & honoris, & dignitatis fungitur apud Regem noſtrum officiis maxima cum laude, ea in omni re inſtructus eſt ſcientia, ut ſummos pleroſque politicos vi-

ros

ros ingenio ſuo, & editis operibus ſuperarit. At quid plura? Totum quantum eſt Filangerium genus veſtigia rectâ premunt Tua. Quominus vero plura de Te dicerem, modeſtia mihi Tua maximum attulit impedimentum. Hæc quidem, Excellentiſſime Antiſtes, in cauſſa fuerunt, cur libellum hunc Tibi meum nuncuparem; quem quidem non dubito, quin pro magnitudine animi Tui gratum acceptumque ſis habiturus, atque a malevolorum cenſura facturus immunem.

VIrorum, qui de Chriſtiana re ſatis benemeriti ſunt, memoriam prodere, ita ut adhuc vivere, inque poſterum victuri videantur, & magni hoc quidem eſt, & ſapientis viri. Qua de re quum Nicolai Notaris, Epiſcopi vigilantiſſimi juſſu Scylacenorum paſtorum ſeriem ob temporum confuſionem quam maxime obſcuram contexere in animum induxerim, nullo timore adficior, ne, illum ſi ſapientem ac magnum dicam, palpari eidem videar. Enimvero Catonis illud repetens memoria, quod in Plutarchi theſauro deſcribitur: *Honor non rei præclare geſtæ merces eſſe debet, ſed ſignum permanendæ ad multum tempus*; ſtatim intellexi eum, quum illuſtre hoc facinus fuerit adgreſſus, tam præclaris

 no-

nominibus eſſe dignum. Quid enim melius, quid jucundius, quid denique poſteritati gratius atque utilius, quam eorum, qui ſe ſive bene, ſive male geſſerunt, exemplum ob oculos præbere ceteris, alterum ut imitentur, ab altero ut ſibi caveant? Natura quippe ad bonum ita trahitur homo, ut ſemper ejus flagret deſiderio. At, quæſo, quidnam majoris boni ex hac prædeceſſorum ſuorum ſerie ſucceſſor ſibi quiſque non hauſerit? Hoc quoque incolis accoliſque gratum erit, jucundum exteris, religioni maxime utile. Jam vero tum rerum præteritarum, quoad ejus fieri potuit, narrationem, tum chronologiam, quæ, ut ſcripſit Petavius (1), *rerum eſt earumdem certis ex indiciis ad ſua tempora, temporumque partes accommodatio*, brevi ſtudui texere ſermone. In eo ſi quid peccatum, humanitati id quidem condonatum velim.

§. I.

(1) *Ration. temp. part. II. cap. I.*

§. I.

QUi critices de re hiſtorica præcepta tradunt, illud in primis admonent, quod Halicarnaſſ. antiquit. lib. I. inculcat, *veritatis*, nempe *& æquitatis ſtudium præcipuum debere eſſe omnis hiſtoriæ ſcopum*. Quapropter a vero longe multumque videntur aberrare, qui originem ſuarum urbium inquirendo, tantum abeſt, ut vera narrent, quin fabulas nugaſque poſteritati tranſmittant. Nemo enim unus ignorat, quo vana hominum credulitas de civitatum ſuarum fundatoribus pervenerit; quum alius civitatis ſuæ Æneam jactet fundatorem, Ulyſſem alius, ceteroſque heroas, qui vel nuſquam extitere gentium, vel certe ipſis civitatibus, quibus auctores jactitantur aut antiquiores, aut poſteriores fuere. Uulgatum quidem eſt, Phœnices (2) anti-

(2) *Phœnices ex Chanaan ortum trahere*, *Chami filio*, *qui* Sidonem genuit primogenitum ſuum, *ex Gen.* 10. *v.* 6. *&* 15. *demonſtrantur*. *Sidon autem quum ur-*

tiquum orbis terrarum populum diverſas diverſis in locis fundaſſe civitates, ac rerum novarum, religiòniſque in eas intromittendæ cupidos, ſine qua quidem nullus eſt hominum cœtus, nulla reipſa coaleſcere poteſt civilis ſocietas, naturali tantum lumine duce, tot excogitaſſe Divinitates, quot ſunt tum naturæ vires, tum cetera, quæ ſibi viſa ſunt portenta. Græci autem, Phœnicibus utique poſteriores, eorum figmenta eo ſibi conſilio adrogarunt, ut majoribus ſuis tribuentes præconium, quidquid antiquitatem ſapit, quidquid ceteris gentibus gloriæ fuit propter ſuarum civitatum conditores, ſibi audacter tribuerent. Quæ quum ita ſint, ſi Scylacii, civitatis quidem perantiquæ inquirens originem, vix pauca proferam, non operæ quis pretium fecerit, ſi me ea de cauſa negligentem arguat, ut, quod de ipſa apud pleroſque ſatis abunde dictum eſt, hoc ego de induſtria

urbem condidiſſet, de ſuo eam nomine adpellavit. Hinc Sidonii, a quibus & Tyrii, & Phœnices orti ſunt. Quin etiam Chanaan Hebræam ſane vocem in lib. Joſ. §. V. I. LXX. græce Phœniciam *verterunt.*

ſtria reliquerim . Hiſtoria ſiquidem , ut inter Philologos Matthias Martinius , a græco ἱστορεῖν dicitur , *quod eſt in præſentia cognoſcere*, proprie videndo (3). Quapropter quum eorum ſcriptorum nullus, qui de ejus ſcripſit origine, ſit ſuppar auctor, quidnam fidei in tanta temporis intercapedine illis præſtari poteſt , qui , ut plerumque fit, falſa veris admiſcent?

§. II.

SCylacium Bruttiorum civitas, Athenienſium olim colonia, ſi Straboni fides præſtetur (4); quod ab ejuſdem Græco nomine

(3) *Servius in I. Æneid.* Inter hiſtoriam , *inquit* , & annales hoc intereſt: Hiſtoria eſt eorum temporum, quæ vidimus, vel videre potuimus: dicta ἀπὸ τοῦ ἱστορεῖν , ideſt videre . Annales vero ſunt eorum annorum, & temporum, quæ ætas noſtra non novit.

(4) *Caſſiodorus*, *qui hac in Civitate ſe natum gloriatur*, in aliam ſententiam deſcendit *Var. lib.* 12. *ep.* 15. Scylacium , *inquit*, primam urbium Bruttiorum Ulyſſes creditur condidiſſe.

σκυλητιον poteſt comprobari; quæ ſatis quidem ampla civitas erat, ut ex ipſis ruderibus adhuc videre eſt. Civitas dubio procul in primis fuit Scylacium; quæ quamvis ſuam ipſa libertatem aliquandiu habuit, ut ſumma eruditione id differit annalium Regni Neapolitani auctor doctiſſimus Franciſcus Antonius eques Grimaldus (5); tamen fuit Crotoni ſubdita; quam poſtea in poteſtatem redegit Locrorum Dionyſius Tyrannus. Belli denique ſecundi Punici tempore in Romanorum, perinde ac aliæ illuſtres civitates, redacta eſt poteſtatem (6): propterea quod quum populi Bru-

(5) *Tom. I. cap. XXIII.*

(6) *Quid de ſubleſta Bruttiana fide ſibi acciderit malorum, vel ex Cauſabono intellige, ita ſcribente*: De Picentinis, ac Lucanis nihil memini legere. De Bruttianis in promtu eſt Feſti locus, & A. Gellii lib. 10. cap. 11. Quum Annibal Pœnus cum exercitu in Italia eſſet, & aliquot pugnas populo Romano adverſas pugnaviſſet; primi totius Italiæ Bruttii deſciverunt ad Annibalem: id Romani ægre

Bruttii, in quibus Scylacium eſt, Romanorum ſocii ad nobilem Romana clade apud Cannas pugnam, in qua quadraginta quinque eorum millia cæſa ſunt, firmi Romanis non ſtetiſſent, tum, ſcripſit Livius (7) *labare cæperunt*; *nulla profecto alia de re, quam quod deſperare cæperunt de imperio. Defecere autem ad Pœnos hi populi: Atellani, Calatini, Hirpini, Apulorum pars, Samnites præter Petellinos, Bruttii omnes*, cet. Illud vero certum eſt, Scylacium coloniam deduxiſſe Romanos: quæ quidem res ex hiſtoriæ civilis Regni Neapolitani auctore etiam clare patet. Quum enim accurate ab eo harum regionum deſcribatur politia, quarum civitates olim apud Romanos aliæ municipia, quæ præter urbis leges, ſuas & ipſa ſervabant, aliæ fœderatæ erant, quæ ex-

ægre paſſi, poſtquam Annibal Italia deceſſit, ſuperatique Pœni ſunt, Bruttios ignominiæ cauſſa non milites ſcribebant, nec pro ſociis habebant, ſed magiſtratibus in provincias euntibus parere, & miniſtrare ſervorum vice juſſerunt.

(7) *Lib.* 22. *cap.* 35.

tra tributum , quod cum Quitite feriebant, liberæ in omnibus habebantur; coloniæ nomine aliæ donatæ erant, Romano utentes jure, a Romanis quippe deductæ; inter Bruttiorum colonias auctor ipſe recenſet præter Rhegium, Crotonem, Locros, ceteraſque, Scylacium. Eaſdem quoque claras atque illuſtres vocat civitates, coloniaſque populi Romani, magnorum uberes ingeniorum; quæ mathematicos (præfiſcine dixerim) Philoſophoſque clariſſimos, inque his caput inſigne Pythagoram (8) habuerunt. Quid autem

(8) *Pythagoras, qui Samius ne, an Tyrrenus, an Hetruſcus, an Metapontinus fuerit, lis inter Philologos eſt, Servio Tullio Romanorum Rege, Crotonem venit, barbaroſque illius temporis mores,* ὀλιγαρχία *oligarchia potiſſimum vigente, in melius cæpit corrigere; ſcientias pro illorum temporum ratione, artes, ponderumque uſum introduxit, adeo ut bis mille, ut Porphyrius a Bruckero relatus ſcripſit I. pag.* 1013. *habuerit diſcipulorum. Quod autem nimium in ſocietatem introducebat hominum æquali-*

autem de Caſſiodoro dicemus, qui, ut ſupra dictum eſt, Scylacii natus eſt? Hic quidem vir ſummus fuit, id ætatis vel primus tum ſingulari doctrina maxime excultus, tum maxima dignitate a Theodorico rege cumulatus.

§. III.

HAnc vero noſtram Scylacium inter primas Chriſti fidem recepiſſe, probabile quidem eſt. Ex actis enim Apoſtolorum colligitur, Apoſtolum annis ſane viginti quinque poſt Servatoris mortem Rhegium ex Judæa perveniſſe; quam quidem civitatem, plerisque ibi Divinæ prædicationis ſuæ tuba Chriſtum profeſſis, in epiſcopa-

litatem, propterea in potentium divitumque odium incidit, qui το ὀλιγαρχικον oligarchicum regimen deperibant; & opera Gilonis Crotonenſis divitis quidem hominis, ſimulque ambitioſi, reliquis ſuis diſcipulis expulſis, necatus eſt. Plura de illo ſcitu digna, multaque reſperſa eruditione, lege apud clariſſimum Franciſcum Antonium Grimaldum tom. 2. pag. 37. ſeqq.

patum ab ipſo erectam Stephano (9) deſtinavit; qui ſeptem & decem annos eamdem rexit, ac pro munere Apoſtolico ſibi concredito ethnicam deſtruxit ſuperſtitionem in Bruttiorum populis, nunc vero temporis Calabrorum (10); ſanam Chri-

(9) *Nicænum hunc fuiſſe in Apoſtoli itinere comitem, ex ejus actis conſtat. Vid. Ughellum in ſerie Archiepiſc. Rhegin.*

(10) *Non abs quidem re eſt, ſi pauca de antiquo Bruttiorum nomine brevi diſſeram, quod injuria his populis ablatum eſt, Calabrorum nomine ipſis impacto. Omnes enim quot ſunt, quotque fuerunt geographiæ ſcriptores, ejuſdem ſunt ſententiæ, Tarentum, ſive Hydruntem fuiſſe Calabriam, quam alio nomine Meſſapiam adpellarunt Græci, cujus præcipua civitas Brunduſium erat. In his vero Chriſtophorus Cellarius in geograph. noſtri temporis pag. 454. edit. Jenæ Joan. Fel. Bielckii ſcripſit his verbis*: Calabria etiam vel citerior eſt, vel ulterior; ſed utraque non veterem Calabriam, ſed Bruttiorum agrum, & aliam Magnæ Græciæ partem complecti-

Chriſti doctrinam ſeminavit, Epiſcopos, nedum Sacerdotes creavit. Quæ quum, ita ſe habeant, nemo, mea quidem ſententia iverit inficias, Scylacium, quippe quæ non longe a Rhegio diſtat, nullam debuiſſe moram injicere ad Chriſtianam Religionem profitendam. Quod ſi nulla alia nobis de prima hujus epiſcopatus fundatione ſupereſt memoria, vel hac id poterit conjectura demonſtrari. Diſtincti nimirum ex urbe viri in eam regendam, utpote quæ civitas illuſtris, perdita Romæ republica, ſe ſe conſerre debuerunt. Jam primum omnium ſatis conſtat, Apoſtolos, eorumque deinde ſucceſſores politiam reipublicæ non abs quidem re ſectando, in eis civitatibus, quo Romani Imperatores mittebant magiſtratus, epiſcopatus quoſcumque fundaſſe. Enimve-

ctitur, & a Lucania, & Tarantino ſinu ad Siculum fretum procurrit, utroque mari contenta. *Ea igitur vocabulorum mutatio Græcæ imputanda eſt ſuperbiæ, qui, veteri Calabria amiſſa, hoc ſibi tantummodo auguſtum nomen Bruttiis impegerunt, quos barbara tunc manus non devicerat.*

vero quemnam præterit, quid tunc temporis Antiochia, quid Roma, quid Alexandria, quid denique tot eſſent illuſtres Civitates? Sane quam maxime eas decebat in epiſcopatus erigi. Hoc enim fuit Chriſti conſilium, quum erat ipſe ex hoc Mundo ad Patrem tranſiturus, quo idolorum cultores prorſus everteret, ac profligaret. Sed quomodo id poterat confici conſilii, niſi in urbe quaque principe novæ prius ſanctæque Legis, ac maxime falſo illi gentilitatis cultui contrariæ fieret præconium? At enim princeps hæc noſtra nequaquam extitit: ſcimus & hoc. Non autem eam in Patriarchalem, inque Metropolitanam, (quod alioquin ſero in Eccleſia Catholica factum eſt) ſed in epiſcopalem ſedem diximus erectam.

§. IV.

QUum monimenta eorum, qui jam inde a principio Scylacenam rexerunt Eccleſiam, temporum injuria perierint, ſane quam arduam difficilemque adgredior provin-

vinciam. Nulli tamen debet mirum videri, ad Conſtantinum & ultra hujus Eccleſiæ æque ac ceterarum paſtorum feriei tenebras eſſe offuſas (11). Nam gentium furori, atque adeo inſaniæ quidquid Religionem noſtram ſaperet, id omne ignotum erat, ipſumque nomen inviſum. Hac quidem de re eorum metu in cryptis plerumque, ac ſpeluncis, qui Chriſtiano nomine primis Eccleſiæ ſæculis erant donati, magiſque Epiſcopi, quippe qui gentibus majori odio erant, & ipſi deliteſcebant. Hinc factum eſt, ut Antiſtitum, qui ad annum 465. vaſtam Scylacii Diœceſim gubernarunt (12), cum ſuis

(11) *Hieracenſis Eccleſiæ Epiſcoporum monimenta nonniſi ab anno* CCCCLI. *habentur. Videſis Joſephi* Parlai *eruditi viri, ac doctiſſimi notas ad ejuſdem Eccleſiæ Epiſcoporum ſeriem, atque vitas. De ipſa quoque Rhegina Eccleſia ita ſcripſit Ughellus*: Poſt Stephanum uſque ad Conſtantini Magni tempus, Epiſcopi, qui in hac ſede floruerunt, deſiderantur.

(12) *Magis, quam hoc tempore, vaſtam*

ſuis ipſorum latibulis memoria quoque ſepulta ſit.

§. V.

PRimus Epiſcopus, de quo habetur memoria, quique Scylacenæ Eccleſiæ ſuſcepit gubernacula, Gaudentius procul dubio fuit; qui quidem anno 465. Romanæ Synodo, in qua, multis de diſciplina ſtatutis, Epiſcoporum quoque cauſſas ad Sanctam Sedem pertinere, definitum eſt (13), ſub Hilaro Papa ſubſcripſit. Quod autem Ughellus quemdam Zachariam, quem ſub Vigilio Pontifice Ro-

ſtam fuiſſe Scylacenam Diœceſim, ex diplomate Rogerii comitis colligitur: nam extra oppida, quæ triginta ſex præter Scylacium ipſam habet Scylacena Diœceſis, Catacium ibi cum Taberna, aliiſque, Tiriolum, quod nunc Neocaſtrenſis Diœceſis eſt, Montaurum, & Gaſparina, quæ jamdiu nullius ſunt Diœceſis, enumerantur.

(13) *Petav. ration. temp. in Conc. Canon., & Fleuryus Hiſt. Eccleſiaſt. lib.* 29. §. 23.

Romanæ Synodo anno 442. & ipſum adſerit ſubcripſiſſe, hujus Eccleſiæ Præſulum primo collocat loco, non ita ſe rem habere, nemo unus ignorat, qui aliquantulum velit rem ſecum reputare. Nulla enim ſub Vigilio celebrata eſt Synodus Romana. Porro autem anno 442. Pontifex Leo Magnus in Petri cathedra ſedebat, ſub quo præter œcumenicum Chalcedonenſe tria Romana concilia indicta fuerunt (14). Vigilius autem anno 540. Romanam regebat Eccleſiam : quo quidem Pontifice nulla habita eſt Sydonus Romana. Ex hoc igitur ἀναχρονισμῷ aperte colligitur, ſuppoſitum quidem Zachariam iſtum hujus Eccleſiæ, neſcio qua ratione in Scylacenorum Præſulum ſerie Epiſcopum eſſe ſtatutum. Sunt vero, qui pro Zacharia Zachæum legunt : Zachæus enim iſte anno 548. (15) Cpoli, ubi & Vigilius Papa tunc erat temporis, ſuam de tribus vulga-

(14) *Petav. ibidem.*

(15) *Claudium Fleuryum lege*, *qui id lib.* 33. *Hiſtor. Eccleſiaſt. boc anno factum eſſe adſerit* ; *quamvis a pleriſque ad annum* 553. *extendatur.*

gatis capitulis (16) dixit ſententiam una cum ſeptuaginta plus minusve Epiſcopis, qui ad concilium celebrandum convocati erant. Sententiam denique & Vigilius ipſe ſuam, multis ultro citroque habitis, de illis III. Idus Aprilis ejusdem anni dixit; quod *Judicatum* adpellavit (17). Quæ res quum ita ſit, quarto ſtatuatur

(16) *Neſtorii hæreſis, qui, ut ab Anaſtaſio ſtaret* τω συγκελλω *ſuo, concionem contra Dei Matrem in Cpolitano templo habente, in impiam quoque lapſus eſt hæreſim, nimio fuit tribus* capitulis, *ac pingui pabulo. Sub Theodori enim Mopſueſteni quondam Epiſcopi nomine peſſimæ doctrinæ libros damnati Neſtorii fautores in vulgus curarunt ſpargendos; quibus ſe quidem credebant Neſtorii ſui partes tutari. Ibas præterea Epiſcopus Edeſſenus epiſtolam, qua S. Cyrillum Alexandrinum æque ac Neſtorium redarguebat, ad Marim miſit Perſam hæreticum. Accedit etiam, quod de Joannis Antiocheni mandato multa in ipſum S. Cyrillum acerbe ſcripſit Theodoretus: quæ omnia trium capitulorum nomine fuerunt donata. Vid. Petav. rat. temp.*

(17) *Fleur. ibidem* §. 26.

tur loco neceſſe eſt Zachæus. Alterius autem & tertii Scylacenæ Eccleſiæ Epiſcopi Gelaſius Papa, qui propter *geminatam Scylacenorum Pontificum cædem* Eccleſiæ huic proprio interdixit paſtore, tenebris involvit nomina (18).

---

(18) *Si Gratiano Monacho ſit fides adhibenda, qui ſub Gelaſii Papæ nomine hanc decretalem refert epiſtolam. Sed canones eum ſine critices adjumento compilaſſe, ſatis eſt præter ceteros audire Duk. de auctor. Jur. civil., ut Pope-Blount in cenſura celebr. auctor. ſub* τὸ *Gratianus*: Horum omnium (*quæ ſcilicet Gratianus compilavit*) auctoritas, *inquit. Duk.*, adhuc controverſa eſt; quum Gratianus ſæpe errare deprehendatur in recitandis canonibus conciliorum, dictis Patrum, & Pontificum conſtitutionibus. *Neque vero dubitandum eſt, quin Gratianus, quod vel maximam decreti ſui partem de putidis* pſeudo-Iſidori *mercibus deſcripſit, ut Thomaſius opinatur, propterea quoque non ſine mendis decretales Pontificum epiſtolas falſo retulerit.*

§. VI.

JOannes Liſſitanus, defuncto Zachæo, Scylacenus a Papa Gregorio Magno deſtinatus eſt cardinalis. De hac autem Liſſitania multi multa dicunt. Ughellus (19) Luſitanum legit: ex quo quidem inferri licet, Joannem in Luſitania fuiſſe Epiſcopum: quæ quidem quum una tunc temporis eſſet ex tribus Hiſpaniæ partibus, non autem civitas, credi nequaquam poteſt, eo ipſum generali donatum eſſe nomine. Etenim ex recepto Eccleſiæ uſu earum, quibus præerant civitatibus, Antiſtites conſequebantur nomina. Rogerius vero Carbonellus in ſuis chronicis, *deſtructa*, ſcripſit, *fuit Liſſitania, quæ hodie Neocaſtrum adpellatur, & Eccleſia S. Euphemiæ*. Quæ quidem opinio quam abſurda ſit, vel hac poterit ratione demonſtrari: eo in loco, ubi Liſſitaniam adſerit Carbonellus, *Terina erat, quæ ſinui Terinæo nomen dedit, & Lametia, ſive Lametus, unde idem ſinus etiam Lametinus dictus, bodie Golfo di* S.Eu-

(19) *Ital. ſacr. tom.* 8. *pag.* 483.

S. Euſemia, verba ſunt Cellarii geograph. antiq. pag. 94., qui ſane ut & ceteri geographiæ ſcriptores, nullam de Liſſitania facit mentionem. Accedit etiam, quod nullus de ſede ſua illis temporibus Bruttius Epiſcopus ejectus eſt. Magis quidem arridet, quod Fleuryus (20) litteris conſignavit, Joannem ſcilicet Epiſcopum Liſſitaniæ in Dalmatia, e ſua, quam hoſtes expugnarant, civitate ejectum, (21) Scylacenæ Eccleſiæ a S. Gregorio fuiſſe præfectum, eo tamen conſilio, ut illa in priſtinam libertatem adſerta, ejus regimen reciperet, pro qua fuerat Epiſcopus ordinatus. Haud ſcio vero, an ipſam recturus Liſſitaniam, illuc ſe iterum contulerit (22).

(20) *Hiſtor Eccleſiaſt. lib.* 35. §. 17.

(21) *I. Epiſt.* 25.

(22) *Joannes hic ille ſane fuit, cui anno* 598. *Gregorius Papa, ut ex decreti Gratiani parte II. cauſſ. XVII. can.* 41. *a Pithæo illuſtrato, ita ſcripſit* = *Joanni Epiſcopo Scylaceno* = Queſti nobis ſunt prædicti monaſterii monachi, abbatem ſuum

§. VII.

AUguſtinus Joannem excepit iſtum, qui anno 649. Romæ in Servatoris templo Conſtantiniani nomine intra Lateranenſe palatium concilio interfuit, quod Martinus I. de induſtria ad Monothelitarum penitus evertendam hæreſim indixit; cujus in primis Theodorus Pharanus in Arabia Epiſcopus auctor fuit. Sergius inde Conſtantinopolitanus Patriarcha

ſuum terram intra Scylacenum caſtrum, quæ in ſexcentos pedes extenditur, ſub prætextu fabricandæ Eccleſiæ fraternitati tuæ donationis titulo conceſſiſſe, *cet*.. *Monaſterium vero iſtud*, *quod jamdiu fratres S. Franciſci vulgo* Riformati *incolunt*, *monachorum S. Baſilii fuiſſe*, *conſtans eſt Scylacenorum traditio*. *Porro autem nullum aliud ad has vicinias rudus eſt*, *unde colligi poſſit*, *alibi monaſterium hoc ſitum eſſe*. *Accedit etiam*, *quod multæ adhuc ibi exiſtunt pictura*, *quas hiſce oculis egomet vidi*, *ex quibus intelligatur*, *Baſilianorum illud fuiſſe monaſterium*.

cha eamdem amplexus eſt; ac magno adhibito ſtudio, curaque defendit: qui ſane quum magno eſſet loco apud orientis Imperatorem Heraclium, ut hæreſim ſuam de una in Verbo Divino voluntate ſuſtineret, ſimulque propagaret, ejus obtinuit Ἐκθεσιν (23) qua Chriſtifidelibus præſcribebatur, unam in Chriſto voluntatem fateri. Typus præterea Conſtantis, quo ſilentium imperator, quamvis ſuum id non eſſet, utrique præſtitit factioni, Catholicæ videlicet, ac Monotheliticæ, hoc ipſo editus eſt.

§. VIII.

PAulus, qui Auguſtino ſucceſſit ſub Agathone Pontifice anno 680. in Ro-

(23) Ἐκθεσις *vocabulum* expoſitionem *ſignificat, qua, quum de utraque Redemtoris noſtri Sanctiſſimi diſputaretur voluntate, exponere ſe Fidem Catholicam credebat imperator; quamvis hac de re ſibi nullum eſſet jus.*

Romana Synodo ex iis delegatis, quos Conſtantinus Pogonatus a Papa Domno petierat ad pacem Catholicæ Eccleſiæ pangendam jam inde ab Heraclio ſciſſæ, una cum centum viginti quinque totius Italiæ Epiſcopis (24) tulit ſuffragium.

§. IX.

Ad hæc uſque tempora nulli quidem dubium eſt, quin Latini Epiſcopi Scylacenæ Eccleſiæ habuerint regimen; quæ quidem ad Paulum hunc occidentis Patriarchæ, Romano nempe Pontifici ſubjecta fuit. Ceterorum autem præſulum hujus Eccleſiæ nomina propter temporum varietates, fortunæque viciſſitudines deſiderantur. Quæ ſi brevi pro recta hujus rei intelligentia exponam, operæ me quidem pretium facturum puto.

Jam primum omnium ſatis conſtat, eadem, quæ Pontifici Romano inerant privilegia, in Chalcedonenſi Synodo, invi-

(24) *Fleur. lib.* 40. *hiſtor. eccleſ.* §. *VI.*

vitis Eccleſiæ canonibus, Conſtantinopolitano Patriarchæ etiam decreta eſſe; quippe quæ civitas ſedes imperii erecta, & nova Roma jam facta, poſt Romanam Eccleſiam prima videbatur (25). Ex hoc quidem tempore Conſtantinopolitani Patriarchæ Imperatoris præſidio animo elati illud ſpectabant, ut pro ſua quiſque virili parte cum ipſo Romano Pontifice de dignitate, certarent. Omnino Joannes Conſtantinopolitanus Patriarcha quamvis vel maxime corpus ſuum jejuniis adflictaret (unde *Jejunator* dictus); tamen quum S. Gregorio Romano Pontifici litteras daret audax ad ſtomachum uſque œcumenici Patriarchæ titulum adfectabat (26). Sergius quoque ejusdem Eccleſiæ Patriarcha nullam Catholicæ Eccleſiæ capiti, Romano nempe Pontifici præſtans obedientiam, quaſi per ſe ipſe, perinde ac ſi caput eſſet, de una in Chri-

(25) *Fleur. hiſt. Eccleſiaſt. lib.* 28. §. 30.
(26) *Idem lib.* 35. §. 39.

ſto voluntate auſus eſt definire. Accedit etiam, quod Leo Iſaurus propter tam multas, quas emovebat mare pumices ſuper finitimas Aſiæ, Europæque regiones, (certe quidem naturale prodigium) id opinatus eſt accidiſſe propterea quod Chriſti, Sanctorumque imagines in honore habebantur (27). Hinc factum eſt, ut ſummo eas odio perſequeretur, atque in ſe ita ſcelus conciperet illarum, quæ recte in quoque Chriſtifidelium templo colebantur, deſtruendarum imaginum, ut nihil inexpertum reliquerit, quo tam impium conſilium perficeret. Quem propterea Gregorius II. cum ceteris Catholicis Epiſcopis forti magnoque animo ſacris aliquando interdixit (28). Hanc porro injuriam imperator ille ut ulciſceretur, Bruttianas Eccleſias, aliaſque, quæ imperio ſubjiciebantur Græco, in quibus & Scylacena erat, ab Romana Sede avellit, illaſque juſſit Conſtantinopolitano Epiſcopo obe-

(27) *Idem lib.* 42. §. 1.
(28) *Petav. rat. temp.*

obedientiam præſtare (29. Sed, quia rei novæ uberrima quidem ſunt turbarum, atque confuſionis ſeges, hoc ipſo factum eſt, ut, interrupta Scylacenorum latini ritus præſulum ſerie, Græci antiſtites, utpote qui Conſtantinopolitano ſubjiciebantur patriarchæ, Scylacenam Eccleſiam regerent.

Ejus porro, qui Paulum Epiſcopum Scylacenum excepit, Græci antiſtitis nomini eam ob rem denſæ ſunt tenebræ obductæ, quod nihil eſt de eo memoriæ proditum præter perpetuam quamdam ad hunc diem Scylacenorum traditionem, idque, quod de illo litteris Rogerius conſignavit Carbonellus; quemdam ſcilicet Epiſcopum Scylacenum, qui Græcus erat, poſt Paulum propter impudicum, quo in archipresbyteri ejusdem Eccleſiæ uxorem flagrabat amore, ab eo fuiſſe veneno necatum. Quo quidem timore ceteri deinceps Græci Scylaceni præſules ſane perculſi, qua Tabernæ, qua Stili moram facie-

(29) *Petrus de Marca de concord. Sacerd. & imper. lib. 1. §. 4. & cap. 7. §. 4. ibi enim Leonis Diatypoſis habetur.*

ciebant. Quæ quum ita ſint, neſcio qua opinione inducti ſunt Stilani, ut crederent Stilum Scylacenæ Diœceſis oppidum (30) Epiſcopalem umquam fuiſſe ſedem; quum in litteris, quas dari juſſit Ferdinandus Siciliæ rex, ne ulla de Scylacenæ eccleſiæ juribus adferatur ejus epiſcopo moleſtia, pluries hæc verba leguntur. *Jacobo Carrafæ gubernatori caſtri veteris, & Capitaneo Terræ Stili.* Epiſcopatus vero in civitatibus, non in illis, quæ *Terrarum* nomine donata ſunt oppida, fundabantur. (§. III.) Præterea nulla quidem apud Stilanos, qui hoc quidem tempore, quem incolunt locum, eum habent Civitatis nomine inſignitum, Epiſcoporum eſt ſeries.

§. X.

(30) *Rogerius Siciliæ comes, & Calabriæ inter cetera oppida, quæ Scylacenæ Eccleſiæ conceſſit, Stilum enumerat ſuo diplomate anno* 1096. *indict. V. lege Ughellum in Scylac. Eccleſ.*

§. X.

QUadringenti circiter elapſi ſunt anni, quo quidem tempore qui, quotque fuerint Scylaceni Epiſcopi, quum nihil de iis ſit memoriæ traditum, omnino ignoratur. Quod profecto niſi Saracenorum (31) incurſioni, qui præcipue in

(31) *In quæſtione apud Philologos eſt, unde ſuam trahant originem Saraceni. Sunt, qui putant, eos peſſimos harum præcipue regionum depopulatores, a Sara Abrahæ legitima uxore nomen traxiſſe ſuum, ut Iſidorus lib. 2.* . Ismaël, *inquit*, filius Abraham, a quo Ismaëlitæ, qui nunc corrupto nomine Saraceni, quaſi a Sara. *Quod ne probabile quidem eſt*; ſiquidem, *inquit Scaliger de emend. temp. lib. 2.*, etymon non convenit. Nam verum eſſet, Saracenos ab illa dictos, ſi ipſa quidem Saraca, non Sara dicta fuiſſet. *Stephanus ait* Σαρακα eſſe regionem Arabiæ, finitimam Nabatæis, a qua τȣς Σαρακηνȣς dictos putat. Nos ſcimus Νομαδας Αραβας ita dictos. Hoc enim Sarak Arabice ſonat;

in Bruttiorum populos jam inde ab anno 870. cœperant graſſari, ac doloroſam ipſis inferre vaſtitatem, me quidem, cuinam id ſit imputandum, lateret. Eo ſane tempore ubique tenebræ, ubique erat confuſio. Etenim de uno & altero Scylacenæ Eccleſiæ Græco Epiſcopo tantummodo ſcriptum eſſe, rerum ſcriptores memoriæ prodiderunt. Horum vero alterum Demetrii nomine, qui unus ſane fuit ex illis centum duodeviginti Epiſcopis, qui in S. Ignatium Conſtantinopolitanum Patriarcham per ſummum dedecus concilio ſubſcripſerunt, quod Conſtantinopoli in Apoſtolorum Eccleſia habuit Photius, vel ex eo antiquitatum expiſcantur ſtudioſi.

§. XI.

THeodorus Meſſimerius alter, Græcorum ultimus Scylacenæ Eccleſiæ Epiſcopus fuit. Quum autem ex ſcriptu-

ra

nat, ideſt feroces καὶ λῃςρικὼς, quales *Martoloſſi*, quales *Bandoliori* in Pyrenæis, *cet.* *Lege Matth. Martin.*

ra quadam, qua B. Brunoni pro ſuo jure multa, quæ ad Scylacenam Eccleſiam pertinebant, bona ipſe conceſſit, adpareat, eo id tempore, quo Rogerius comes vivebat, factum eſſe; tamen exploratum eſt, multum Meſſimerium temporis ante vixiſſe, quam Rogerius *Scyllacenſis Eccleſiæ cæpiſſet condoleſcere caſui & ruinæ* (32). Etenim quamvis multos pro pietate ſua ex Græco in Latinum ritum Epiſcopatus mutaſſet Rogerius; tamen nullum vel minimum propter illos doloris ſignum, uti eo in diplomate, quo Scylacenum Epiſcopatum curavit reficiendum, præbuit, ſibi illius vaſtationem vertendo, nedum imputando: immo apertis verbis quodam percitus dolore, inquit in eodem diplomate: *ex incuria mea Scyllacenſis Eccleſia ſic muta erat, ſic inutilis erat, ſic ſine patre, ſic ſine conſilio*, cet. Quæ quidem verba ſatis demonſtrant Scylacenam Eccleſiam viduatam tunc fuiſse' temporis Paſtore, quo iterum eam occidentis Patriarchæ, Romano nempe Pontifici, fra-

cta

(32) *Verba ſunt hæc Rogeriani diplomatis.*

cta tandem Græcorum adrogantia, reſtituit Rogerius.

§. XII.

HActenus de Græcis; nunc ad Latinos redeamus Scylacenos Epiſcopos. Primus Scylacenæ Eccleſiæ antiſtes latino inauguratus ritu, quem Rogerius de multorum Epiſcoporum (33) conſilio elegit, Joannes de Nicephoro fuit (34), qui Melitenſis Eccleſiæ erat Decanus: de quo ob temporum injuriam nullum litteris conſignatum eſt monumentum (35).

§.XIII.

(33) *Saſſonis ſcilicet Caſſanenſis Epiſcopi, Stephani Severinenſis, Rogerii Catanenſis, Stephani Megarenſis, Ergelandi Agrigentinenſis, Rogerii Syracuſani, quemadmodum ex ipſo Rogerii comitis diplomate adparet.*

(34) *Alii Nicbiforum legunt.*

(35) *Cauſſam, cur ex Græco in Latinum mutatus ſit Epiſcopatum, Fleuryus Hiſt. Eccleſiaſt. lib. LXIV. §. XLII. ſcripſit ingentem fuiſſe Northmannorum numerum, aliorumq. latini ritus Chriſtianorum, qui tunc temporis Scylacii erant.*

§. XIII.

DOnatus, Paſchale II. Romano Pontifice, anno 1109. Scylacenam regebat Eccleſiam; de quo præter notam in Joannis locum ſucceſſionem nihil eſt memoriæ proditum.

§. XIV.

PEtrus Donato fuit ſucceſſor; qui quidem tum ob generis, qua florebat, nobilitatem, tum etiam ob ſingularem, qua præditus erat, virtutem, Meſſanæ calendis Martiis anni 1110. electus eſt Scylacenus Epiſcopus, ut ex Rogerii Comitis filii conſtat diplomate, quo & Adalaſia Siciliæ, & Calabriæ vulgo commiſſa Sanctæ Mariæ de Roccella feudo ditavit Scylacenam Eccleſiam.. Pontificis vero Calliſti II. tempore Catacenſis Eccleſiæ Petrus interfuit conſecrationi eodem, quo per ipſum Pontificem ad Panormitanam in Sicilia Eccleſiam translatus eſt, anno 1122. IV. Nonas Apriles: quod ex ipſis Calliſti litteris latius patet. Hinc quoque col-

colligi poteſt, annos duodecim eum, menſem unum, dies duos Scylacenam rexiſſe Eccleſiam.

§. XV.

DRogus poſt Petrum Scylacenæ Eccleſiæ ſuſcepit regimen. An vero *αμεσως*, *immediate* Petro Drogus, vel quis alius ſucceſſerit, dubitavit Ughellus. Sed, mea quidem ſententia, nodus hic in ſcirpo quæſitus eſt; ſiquidem clare patet, annos duodeviginti elapſos eſſe a Petro in Panormitanam Eccleſiam translato ad id quidem temporis, quo Drogum Adalaſiæ Rogerii neptis diplomati anno 1140. ſubſcripſiſſe invenimus his verbis: *Ego Drogus Epiſcopus Squillacii convocatus ad dedicationem prædictæ Eccleſiæ* (Cephaleditanæ nempe) *præcepto Domini noſtri Rogerii, & prece Jocelmi Venerabilis Cephaludii electi*. Quo quidem temporis ſpatio Drogum in Scylacena ſediſſe Eccleſia credibile eſt; mihi vero admodum certum; quum de nullo alio, ut de ceteris hujus Eccleſiæ Epiſcopis, facta ſit mentio.

§.XVI.

§. XVI.

JAm vero propter earum defectum, quæ in Scylaceno tabulario ignorabantur ſcripturæ, mihi quidem perſuadeo, ab Ughello poſt Drogum poſitum eſſe Aymerium Scylacenum Epiſcopum. Hac autem tempeſtate, quum de inviƈtiſſimi Regis noſtri Ferdinandi IV. juſſu ſint illæ per doctiſſimum virum (36) diſtriƈtæ, repertum eſt, anno 1145. Sicaltium Scylacenam Eccleſiam gubernaſſe; qui, lite de Eccleſiæ ſuæ bonis quibuſdam ſibi intenta, a Rogerio Rogerii comitis filio petiit, ut, quæ jura Scylacenæ Eccleſiæ Rogerius pater conceſſerat, eadem filius comprobaret (37).

(36) *Hic eſt Andreas de Leone, in re philoſophica excellens, omni excultus eruditione in* Auƈtoris *Provinciæ Catacii munere, quod hoc tempore ſumma ipſe cum laude fungitur, integer atque candidus.*

(37) *Id & ex decreto, quo Rex Regium Scylacenum declaravit Epiſcopatum anno* 1780., *& ex ea, quæ tali fuit juri patrocinio, conſtat ſcriptura.*

§. XVII.

QUo autem anno mortem Sicaltius obierit ſuam, quove ei Aymerius ſucceſſerit, omnes æque, ac me quoque hactenus latet. Aymerius quidem, ut mihi exploratum eſt, Scylacenus Epiſcopus, Alexandro III. Romano Pontifice, vitam anno 1178. vivebat ſuam: quo ſane tempore IV. Non. Novembres *ſe adſcripſit cum aliis Epiſcopis Fraternitati S. Mariæ de Latina*, cet.: ita Ughellus (38).

§. XVIII.

POſt Aymerium Ugo anno 1196. hanc rexit Eccleſiam. Iſtius vero memoria ad poſteritatem propter Conſtantinæ Auguſtæ Siciliæ Reginæ privilegium ad ejus petitionem Scylacenæ Eccleſiæ conceſſum perveniſſe creditur; quo quidem religioſa Rogerii devotio confirmata eſt: ac præterea, quæ ibi adſeruntur, mandata ſunt multa, quæ ad curiæ judicium de-

(38) *Ital. Sacr. tom.* 8. *pag.* 431.

deberent pertinere . Viginti circiter annos hic vixit Epiſcopus.

§. XIX.

SEd, Ugone defunсto, in diverſa Scylaceni canonici abierunt ſtudia; quorum alii pro ſacris canonibus anno 1217. ejuſdem Eccleſiæ archidiaconum, cujus nomen ignoratur, Guilelmum alii S. Stephani vulgo de Boſco non rite elegerunt. Ea quidem res multas civili ſocietati attulit turbas: quæ in cauſa fuerunt, cur Honorius III. pro ſuprema in Catholica Eccleſia poteſtate, Lucæ Archiepiſcopo Conſentino in mandatis dederit, ut *archidiaconum* (ſunt Honorii verba) *a capitulo electum auctoritate Apoſtolica confirmaret, caſſata, nullaque declarata alia electione ab eodem capitulo celebrata de eo Guilelmo*. Legitimus autem Epiſcopus, archidiaconus nempe Scylacenus, anno non completo deceſſit.

§. XX.

Nicolaus porro in ejus ſucceſſit locum. Sed, quoniam ea eſt humanæ naturæ ratio, ut quod alteri boni ineſt, id omne invidia quadam per ſummum dedecus pro ſua alter virili parte ſtudeat infeſtare, Joannes quidam de Alberonia Scylacenus Theſaurarius apud Honorium III. de perjurio in præſulem Nicolaum, ſimonia, aliiſque vitiis inſtituit quæſtionem. Archiepiſcopo Conſentino interea temporis Pontifex iterum mandavit, ut, dicta a Nicolao cauſſa, ſive innocens is, ſeu reus inveniretur, id pro veritate ad ſe referretur. Quo quidem facto, quum de ejuſdem conſtitiſſet innocentia, conſolatoriam Nicolao epiſtolam ſcripſit Honorius, eum ab omni imputatione abſolvit, perpetuumque ſilentium impoſuit adverſario (39).

§. XXI.

(39) *Videſis Ughellum Ital. ſacr. tom.* 8. *pag.* 434.; *integram enim Honorii epiſtolam habes.*

§. XXI.

QUi Nicolao ſucceſſit, Epiſcopi nomen ignoratur. Is autem ſingulari littera R. ſignatus invenitur, ut ex reg. vat. Gregorii IX. patet. Sed quum in Rheginam Eccleſiam, Landone illius paſtore defuncto, fuerit translatus, ei a Gregorio Pontifice fuit Scylacena Eccleſia commendata, *donec* (ſunt Pontificis verba) *ad illam Rheginam tranſierit*: quod ex reg. vat. epiſtola (40) Scylaceno clero, civitati ac Diœceſi ſcripta colligitur.

§. XXII.

INterim dum proprio hæc Diœceſis carebat paſtore, a canonicorum ſenatu fuit rite poſtulatus Benvenutus canonicus Rheginus. Sed, quod ob ætatis defectum non poterat Epiſcopus inaugurari; propterea ſibi pro egregiis animi ſui dotibus hæc Eccleſia *in commendam*, uti ajunt canoniſtæ, data fuit. Ea itaque occaſione quantum ad hoc explendum muneris idoneus,

(40) *Epiſt.* 354. *fol.* 240.

quale ſibi eſſet ingenium , re oſtendit : Quapropter, ſemel atque iterum poſtulantibus Scylacenis, Sorano Antiſtiti Innocentius IV. commiſit , ut Benvenutum , ſi rite electum inveniret, Scylacenum Epiſcopum Apoſtolica auctoritate confirmaret (41) .

§. XXIII.

---

(41) *Extat epiſtola hæc in Reg. Vat. (ſcripſit Ughellus Ital. ſacr. tom.* 8. *pag.* 434.) *num.* 77. *fol.* 123. *in hunc modum*: Epiſcopo Sorano: Expoſuit nobis dilectus filius Benvenutus canonicus Rheginus , quod quum olim a capitulo Squillacenſis Eccleſiæ tunc vacantis fuerit poſtulatus canonice , ac concorditer in Epiſcopum , & Paſtorem ; tandem quia tunc idem B. patiebatur in ætate defectum , felicis recordationis Gregorius Papa prædeceſſor noſter ſibi prædictam Eccleſiam commendavit. Quare nobis duxit humiliter ſupplicandum, ut poſtulationem hujuſmodi admittere de benignitate Apoſtolica curaremus . Ipſius igitur ſupplicationibus inclinati, mandamus, quatenus ſupplicationem ipſam , ſi eam inveneris de perſona ido-

nea

§. XXIII.

Richardus Scylacenus archidiaconus a Clemente IV. anno 1266. V. Idus Octobres ejusdem Eccleſiæ creatus, ut ſcriptum eſt, Epiſcopus. Quas vero res hic geſſerit, ignoratur.

§. XXIV.

Philippus Richardo ſucceſſit. Is eorum ſane fuit unus, qui Jacobi Aragonei Siciliæ Regis coronationi anno 1286., ut tunc temporis erant mores, interfuit (42), uti Fazellus ſcripſit lib. 9. decade 2. de rebus Siculis,

nea canonice, ac concorditer celebratam, admittere auctoritate noſtra procures, faciens ei a ſubditis ſuis obedientiam, & venerationem debitam exhiberi, contradictores, cet. Non obſtantibus conſtit. de duabus dictis cet. Datum Peruſii 10. Cal. Jan. cet.

(42) *Hic quidem Jacobus fuit ſecundus Petri Aragonei filius, qui pugna quidem*

§. XXV.

POſt Philippi obitum Jordanus hanc gubernavit Eccleſiam; cujus res quidem geſtæ quum ſint ſilentio transmiſſæ, illud ſolummodo de eo ſcriptum eſt, vitam illum cum morte anno 1345. circiter commutaſſe; quod ex Clementis VI. litteris clare patet in ſucceſſoris electione.

§. XXVI.

NIcolaus hic fuit de Teramo, qui Aquinatis Eccleſiæ erat canonicus, quum idibus Decemb. anni 1345. Scylacenæ electus eſt antiſtes. Sed quatuor poſt annis, quo fuit his infulis ornatus, in Melphitanam ſedem translatus eſt. *Poſt menſem vero*, ſcripſit Ughellus, *evaſit Archiepiſcopus Arborenſis in Sardinia.*

§. XXVII.

dem iniqua, quam cum Galliæ rege commiſit, ubi exercitus ſeſe in fugam conjecit, vulnere tandem adfectus, vix ſe Villam Francam potuit recipere. Paucis vero ibi poſt diebus diem obiit ſuum.

§. XXVII.

JOannes de Rocca, canonicus Neapolitanus, Epiſcopus poſt Nicolaum fuit Scylacenus. Paucis me expedio, propter earum, quas haud ſcio, an geſſerit res præclaras, notitiæ defectum.

§. XXVIII.

MAtthæus Scaleatus e Carmelitarum familia, cui prius Lavellenſis Eccleſiæ collatum eſt regimen; inde vero ad Scylacenam translatus eſt ab Urbano V., qui Avenione ſedit præter annos tres, quibus Romæ commoratus eſt, ut Græcam cum Latina Eccleſia conciliaret (43). Sed, quoniam variæ fuerunt Matthæi hujus viciſſitudines, quo magis intelligantur, operæ quidem pretium mihi videor facturus, ſi miſerum Catholicæ Eccleſiæ ſtatum illius ætatis brevi deſcribam. Decimum jam fere quintum erat luſtrum, quo Pontificia ſedes a Clemente V. non ſine maximo Eccleſiæ damno translata

erat

(43) *Petav. rat. temp. in ſucceſſ. Pontif.*

erat Avenionem, quum Gregorius XI. legitimus Petri ſucceſſor, hortante S. Catharina Senenſi, quæ tunc quidem clarebat ſanctitate, Romam rediit. Poſt duos vero annos, Gregorio defuncto, fœdum æque, ac diuturnum ſchisma fuit ad annos circiter quadraginta (44); quo ſane tempore alter Romæ, Avenione alter Pontifex pro ſua alteruter virili parte ſedem figebat ſuam. Id in primis Joannæ Neapolitanæ reginæ opera factum eſt, (atque adeo Nicolai Neapolitani JCti conſilio) quæ quum Urbanum VI. metueret, Gallicarum ipſa partium cardinalibus fecit animos, ut prioribus comitiis, in quibus Urbanus electus eſt, illatam ſibi vim cauſati, novum Pontificem eligerent: qui reipſa Fundis conjuncti, Robertum Genevæ cardinalem in locum defuncti Gregorii Pontificem inaugurarunt, qui de more Clementis VII. nomen ſibi juſſit imponi: ita Avenione ſtatuit ſedere. Quæ quum ita

(44) *Ab Urbano ſcilicet VI. ad Martinum V.; quo quidem Pontifice, ſchiſma ſopitum eſt, ſcripſit Petavius rat. temp.*

ita eſſent, ſuas partes uterque Pontifex tueri enixe conabatur; uterque qua cardinalium, qua Epiſcoporum habebat delectum; uterque Regum faciebat conjurationem; alter denique alterius acta irrita facere, abrogare ſtudebat. Hinc diviſis factionum partibus, alter in alterius factionis Epiſcopos per ſummum Catholicæ Eccleſiæ dedecus animadvertebat, eos quoque propriis ex Eccleſiis depellendo. Etenim Urbanus VI., qui ex vera ſapientum ſententia legitimus credebatur Pontifex, Bernardum de Montoro Sequanum, Neapolitanum Archiepiſcopum, quippe qui Pſeudo-Pontificis Clementis VII. tutabatur partes, ſede privavit, eamque in abbatem contulit Bozzutum. Carolus præterea Dyrrhachinus, qui Urbani opera atque ſtudio rex evaſerat Neapolitanus, Gerardum de Giſone fratrum minorum generalem Miniſtrum, qui, rogante Joanna, Neapoli ab Antipapa Clemente ſacra fuerat purpura donatus, in carcerem juſſit detrudi (45). Matthæus quoque,

(45) *Legatur hac de re Regni Neapolitani hiſtoriæ civilis auctor.*

que, qui hoc tempore Scylacenam regebat Eccleſiam , eadem ab Urbano VI. fuit privatus, neſcio hoc ne evenerit, propterea quod Joannæ Reginæ partibus ſtudebat, an Urbani V. odio, qui Avenione degebat, a quo in Matthæum hæc collata fuit Eccleſia. In priſtinum vero ſtatum, ut mox dicetur, reſtitutus eſt Matthæus.

§. XXXIX.

PHilippum Criſpum, qui Sicula fulgebat nobilitate Meſſanenſi, ordinis eremitarum S. Auguſtini ſubrogavit Urbanus, virum & in re Theologica maxime clarum, & Apoſtolici palatii ſcholarum in eadem facultate magiſtrum. Sed, quum Philippus ex hac ſit ad Meſſanenſem Eccleſiam per Bonifacium IX. Urbani VI. legitimum Romæ ſucceſſorem, translatus, Matthæum, quem hac Eccleſia privarat Urbanus, ipſemet Bonifacius anno 1392. in priſtinum ſtatum reſtituit. Paucis autem poſt diebus diem extremum obiit.

§. XXX.

§. XXX.

ANdreas Epiſcopus Potentinus poſt Matthæi obitum a Bonifacio IX, anno 1392. tranſlatus eſt in Eccleſiam Scylacenam. Porro autem de hoc Epiſcopo ſatius quidem eſſet pauca dicere, quam inquirendo ejus inveſtigare immoderatam honorum cupiditatem, niſi propter ſuas, quibus præditus fortaſſe eſſet, dotes ſingulares, ac doctrinam inſignem factum eſt, ut Eccleſiæ bono plurium eſſet ſponſus Eccleſiarum. Etenim hac poſt Potentinam non contentus, ad Iſernienſem transfertur: mox autem ad Potentinam rediit; quæ quum ſibi, ut opinor, cordi non eſſet, ſacris Eccleſiæ canonibus invitis (46), qui quidem populorum ſalutem, non propria ſpectant commoda, ne-

(46) *Nicænæ Synodi can. XV.*, *Antiochenæ XXI.*, *Sardicenſis XIV. lat. XI. gr. apertis verbis Epiſcoporum translationes, quippe quæ contra regulas introductæ, prohibent. Lege Fleuryum lib. XI. §. XIX., lib. XII. §. XII.*, & *§. XXXVIII. hiſt. Eccleſiaſt.*

neſcio, qua ratione, in Epiſcopum Cajacenſem evaſerit Andreas iſte. Tanta quippe paſtoris hujus erat fœcunditas, ut quinque Eccleſiarum curæ ipſe unus ſatis eſſet. Anno autem 1397., quo quidem tempore Andreas Scylacenam regebat Eccleſiam, duo deinceps ab antipapa Benedicto XIII. ordinati numerantur intruſi Epiſcopi; quorum prior quidam fuit frater Petrus, alter Joannes Meli Catalanus. Sed a Scylacenis, quippe qui S. Romana Eccleſia, veritatis quidem matre innixi erant, non fuerunt jure merito recepti.

§. XXXI.

Bonifacius vero IX. anno 1402., quo ad Iſernienſem translatus eſt Andreas, Roberto de Baſilio Sueſſano canonico Scylacenam ſedem contulit; qui quum undecim fere annos eam gubernaſſet, a Joanne XXII. (alii XXIII. legunt) ad Policaſtrenſem translatus eſt.

§. XXXII.

§. XXXII.

LEo Colochurus Roberto ſucceſſor, Scylâcenæ cathedralis erat archidiaconus, quum ab ipſo Joanne Pontifice idib. Febr. anni 1413. Scylacenus electus eſt antiſtes. Is, anno regiminis ſui non completo, ſub Martino V. (47) fato ceſſit.

§. XXXIII.

FRanciſcus Arcerius, juris legumque longe peritiſſimus anno 1418. VII. cal. Febr. Scylacenus Epiſcopus a Martino V. creatus eſt. Ex quibusdam vero hujus Eccleſiæ monimentis conatur Ughellus expiſcari, Franciſcum hunc *quadraginta & octo omnino annos hanc Eccleſiam conſulte adminiſtraſſe*. Haud ſcio, an id clarus auctor ea de cauſſa opinatus ſit, quod in eis, ex quibus ce-

(47) *Sub hoc Pontifice, ut ſupra dictum eſt, Joanne* XXII. *aut* XXIII. *pontificia abdicato auctoritate, dirum, ac longum in concilio Conſtantienſi compoſitum eſt ſchisma.*

ceteroqui ſibi præter cetera a Rege Ferdinando, aliiſque, multa intelliguntur, conceſſa, & confirmata, Epiſcopi nomen ſolummodo per litteram ſingularem F. expreſſum eſt; quod tamen Franciſco de Cajeta, qui Arcerio ſucceſſit, etiam adtribui poterat. Sed quum res ſit quam maxime obſcura, nolim hac in re immorari, operamque conterere meam. Legi vero poſſunt, quæ Lottellus, vir ſane eruditus in ſuo M.SS. hac de re ſcripſit, eruditeque diſſeruit.

§. XXXIV.

FRanciſcus de Cajeta, Arcerio vita defuncto, a Sixto IV. anno 1477. III. Idus Martias electus (48), hunc iniit Epiſcopatum. Vir quidem & generis nobilitate perſpicuus, & ſua virtute maxime clarus. Natus enim eſt ex patre Carolo a regis Ladislai conſiliis longa (ſcripſit Ughellus) filiorum ſerie, & matre Januariæ familiæ nobili heroina. Generis autem nobilitatem cum moribus,

(48) *Ughelli hic ſequamur chronologiam.*

bus, tum doctrina cumulavit; propterea quod non ſolum doctoris meruit lauream, ſed etiam, ut adſerit Matthæus de Aſflicto, tractatus adverſus hæreſes magna ſcripſit dexteritate. Quidquid vero ei Deus elargitus eſt, id quidem pauperibus erogabat. Mirum in modum præterea Sanctos, maximeque Dei Matrem Virginem coluit, adeo ut ſacras eorum imagines in quaque ædium fere parte eo poni juſſerit, quod Chriſtifideles frequentius eos æque colerent, atque imitarentur. Quam maxime ſtudebat, ut ſarta tecta Eccleſiæ ſuæ jura ſervaret. Sed, quoniam *cantharides*, ut ſcripſit Plutarchus, *maxime adultis jam frugibus, & roſis florentibus incumbunt; ita invidia maxime adoritur bonos, & ad virtutem proficientes, & gloriam*, Franciſcus licet vir eſſet religioſiſſimus; tamen apud Pontificem Romanum a Scylaceno quodam hæreſeos accuſatus eſt. Qua de re maximo Scylaceni adfecti dolore, hanc a ſuo, qui integræ ac incolumis erat famæ, Epiſcopo in Deum pietate maxime claro notam amoturi, conſilium ſtatim inierunt,

ut infamis ipſe accuſator ſcelus ſuum, ſimulque tanti paſtoris fateretur publice innocentiam, veniamque quo impetraret, effecerint. Sed paucis poſt menſibus de vita Franciſcus exceſſit.

§. XXXV.

VIncentius de Galeotis Neapolitanus jure quidem imaginum clariſſimus, prius Epiſcopus Rapollanus, atque ab Regis conſiliis anno 1480. a Sixto IV. poſt Franciſci mortem in Scylacenam translatus eſt Eccleſiam. Virum prope ſingularem eum fuiſſe, vel ex hoc monimento intelligi poteſt, quod vivens hac in cathedrali ponendum curavit: *Vincentius Galeota patricia gente Neapoli oriundus, Epiſcopus Scyllacen, perpetuuſque Caputaquen Epiſcopatus adminiſtrator, poſt reſtitutam in melius in Eccleſia Scyllacen clericalem diſciplinam, redactumque ad ſummum, Deo bene juvante, ſuique ipſius integerrimo exemplo, Divinum cultum, auctamque non mediocriter dignitatem, menſamque epiſcopalem, nullo faſtu elatus, nul-*

nullaque gloria inflatus, ſed humanæ conditionis perpetuo fluxæ memor, quo ſeſe huic deciduæ ſorti quotidie paratiorem redderet, ſibi præclara hæc monumenta vivens ac lubens poſuit. Homo autem, reliquis a ſe geſtis relictis, ut primum hujus ſuſcepit Eccleſiæ gubernacula, concilio intervenit, quod in Lateranenſi æde celebrandum Julius II. inſtituit, quo conciliabulum, præſide exauctorato Bernardino Carvajalio, inchoatum diſſolveret. Illud poſtea, defuncto Julio, ſucceſſor Leo X. tandem confecit.

In hoc autem concilio tum in ſynodum Piſanam, tum etiam de recuperanda Terra Sancta, de diſciplina eccleſiaſtica, & abroganda Pragmatica ſanctione (49), multa ſane pro eo ac fieri debebat, ſunt ſtatuta ac definita.

 No-

(49) *Galli, quippe qui ſtrenuum jactant vel in re eccleſiaſtica libertatis ſpiritum, Carolum VII. ad illam vindicandam impulerunt eo illuſtrium virorum congreſſu indicendo, a quo, Patribus Baſileenſis concilii auctoribus, illa prodiit conſtitutio, quæ* Pra-

Nolo hic durus eſſe Ughelli ariſtarchus, qui adſerit, Epiſcopum Galeotam in Eccleſiam Caputaquenſem translatum eſſe. Ex illo tamen, quod modo retuli monimentum, clare patet, Eccleſiæ illius eum fuiſſe *perpetuum adminiſtratorem*, ut tunc temporis mos erat. At vero aliud Neapoli in Divæ Annuntiationis templo extat monimentum ab Ughello relatum his verbis: *Vincentio Galeotæ Scylaceno & Peſtano Pontifici*, cet. Haud ſcio, an ſcrupulis victus, illius Peſtanæ, ſeu Caputaquenſis ſolam retinuerit adminiſtrationem. Quod, quidem quam maxime pro-

Pragmaticæ ſanctionis *donata eſt nomine ab eo, quod juris legumque periti, qui* Pragmatici *dicebantur, conſilium dederunt ſuum. Multa vero ibi ſtatuta ſunt, præſertim de beneficiorum collatione: quæ quidem hic referre meum non eſt. Fleuryus legi poteſt, qui lib. CVII. hiſt. eccl. ea latius diſſerit. Hæc tamen Pragmatica ſub Papa Leone X. a Franciſco Rege ſublata eſt. Petav. rat. temp. lib. IX. c. XI.* pro-

probable eſt (50).

§. XXXVI.

Antonius Piſanellus & ipſe Neapolitanus Vincentium excepit, qui ut ex quibuſdam patet monimentis, hujus Eccleſiæ erat Epiſcopus anno 1517.

(50) Αναχρονισμος *hic occurrit ſane quam involutus, adeo ut œdipo conjectore opus ſit. Ego vero, quoad ejus fieri poteſt, ſolvere conabor. Ex Ughelli ſententia Vincentius Epiſcopus antea Rapollanus in Scylacenam Eccleſiam anno* 1480. *die* 30. *Januarii a Sixto IV. translatus eſt. Ex hoc autem monimento, quod ipſe refert,*
„ *Vincentio Galeotæ Scylaceno, & Peſtano,* „
„ *Pontifici* . . . .
. . . .
. . . .
. . . .
. . . .
„ *Vixit an. LXIV. menſ. VII. d. XX.* . . . . „
. . . . . . *A partu Virginis MDXXIV.* „

in

§. XXXVII.

SImeoni de Galeotis Neapolitano, Piſanello mortuo, a Leone X. anno 1520. nonis Decembribus Scylacena collata eſt Eccleſia. Is autem poſtquam undeviginti annos ipſam rexit, Romæ tandem ſuum diem clauſit extremum.

§. XXXVIII.

HEnricus Borgia Valentinus Hiſpanus, Ducis Candiæ filius, Alexandri VI. pro-

in primis adparet quam clariſſime, eum anno 1524. diem obiiſſe ſuum; ſubducto vero inter annum 1480., & 1524. diſcrimine, remanent quidem 44. deinde annos ipſum vixiſſe 64. Si ab iis autem, quos vixit annos, hi, quibus Epiſcopus fuit, demantur, qui remanent, ſunt 20.: qua quidem ætate creatus ſit Epiſcopus, neceſſe eſt: quod a ſacris Eccleſiæ Canonibus alienum eſt. Quapropter opus eſt, dicatur, vel pro anno 1480. legendum eſ-ſe

pronepos ad hancmet Scylacenam a Paulo III. anno 1539. idib. Decemb. promotus eſt. Mox vero Diaconus Cardinalis vix creatus, obiit Viterbii XVI. cal. Octobres anni 1540.; cujus cadaver Romam delatum in Vatic. Baſilica ſepultum eſt.

§. XXXIX.

Henricus de Villalobos Xeres, qui Hiſpana fulgebat nobilitate, Hiſpalenſis Eccleſiæ erat Archidiaconus, quum Epiſcopus Lucerinus electus eſt: ex qua poſtea in Scylacenam Eccleſiam nonis Novembr. ejuſdem anni 1540. translatus fuit. Decem in hacmet ſedit ipſe annos, eamque tandem

ſe 1490., vel pro MDXXIV. ponendum MDXIV:. Sic enim anni 30. Vincentio dentur; quo quidem tempore pro Eccleſiæ diſciplina Epiſcopus creari poterat. At ex [illegible] in Scylacenam translatus eſt Ec-[illegible] id paucis poſt mensibus fa-

§. XL.

ALphonſo ſuo ex fratre nepoti *reſignavit* . Quod utinam vir doctus non feciſſet : prohibet enim Antiochena Synodus, ne Epiſcopi ſibi ſucceſſores adſciſcant. Nec abs quidem re fuerit, ſi quæ Thomaſinus (51) Theodoreti referens verba, ſcripſit, eadem ego referam : *a quo*, inquit, *eleganter alibi adnotatum eſt*, *Moyſen quoque ſuum ſibi delegiſſe ſucceſſorem, cui & manus impoſuerit; verum ea in re cæleſti oraculo obſecutum, & poſthabitis cognatis omnibus*: Porro (verba ſunt Theodoreti) *convenit admirari prophetam, qui quum haberet filios, & fratrem, & fratris filium, nullum horum ducem præfecit; ſed Deum conſuluit, & quem decrevit ipſe, eum ordinavit*. Alii vero hiſce temporibus vix umquam Deum, ſed animi ſui motus conſulere ſolent.

§. XLI.

(51) *De vet. & nov. Eccleſ. diſcipl. r. II. lib. II. cap. LV.* §. 3.

Pa

§. XLI.

VEnio nunc ad doctiſſimum cardinalem Guilelmum Sirletum . Si per ſe virtus ſine generis nobilitate, ſine fortunis ponderanda eſſet (52), dubio quidem adficerer, an hunc primum omnium ponerem . Ipſi enim præfero neminem naturali ingenii dexteritate, bona indole, in religionem amore . Natus eſt Viridivalle, ſeu Guardavalle (53), Bruttiorum oppi-

(52) *Sunt, qui putant, Guilelmum ex nobili genere ſuam traxiſſe originem . In iis vero Chryſoſtomus Scarfous modum prætergreditur . Sed in catechiſmo Romano Patavii an. CIↃIↃCCLXXVII. typis ſeminarii edito apud Joannem Manfrè , ubi de ejus auctoribus , & ſcriptoribus agitur, hæc ſcripta ſunt*: Guilelmus Sirletus Stili Calabriæ oppido natus , non genere , aut divitiis , ſed virtutibus , & doctrina nobilis , cet.

(53) *Omnibus exploratum eſt , Guilelmum Sirletum Guardavalle , non autem Sti-*

oppido , ubi a primis annis rudimentis latinæ linguæ animum adjecit . Optimus vero adoleſcens , qui expectationem omnium vincere debebat , Neapolim ſeſe contulit . Ibi quamvis pro inopia ſua ſuum defraudaret genium ; in Latinis , Græcis , Hebraiciſque litteris profecit , adeo ut

---

Stili natum eſſe . Itaque quaſi plagium commiſerunt Stilani , qui , neſcio qua innixi auctoritate illum fecerint ſuum . Majoris vero ponderis ac momenti ſunt , quæ ipſe teſtatur Guilelmus in epiſt. ad clerum Scylacenum ; in qua , ut refert Thomas Acetus in Gabrielem Barrium , hæc inter cetera ſcripta ſunt Italice : Quanto al coſtume , che dite eſſere di dare il caritativo ſuſſidio alli nuovi Prelati , e che per queſto deſiderate eſeguire quanto vi ſarà impoſto , ringrazio le RR. VV. dell' offerta , e prontezza di animo ; e quanto a queſta parte non voglio , che in alcun modo ſi parli : perchè ſe a quella Chieſa , (*loquitur de Marcopolitana*) alla quale io ero foraſtiero , non ho voluto conſentire , che mi daſſero coſa al-

cuna ;

ut anteferretur huic nemo , pauci pares putarentur. Romam deinde profectus eſt; ibique pro re nata ſeſe prodidit: ita doctrina, qua fulgebat, profunda ſane linguarum peritia, qua præ ceteris pollebat, notus eruditis quibuſdam fieri cæpit ; in primis cardinali Cervino S. Crucis nuncupato, græcæ linguæ peritiſſimo, a quo Guilelmus noſter κατ' ἐξοχὴν *calaber* ſapientiſſimus adpellabatur : cujus opera a Paulo III. Bibliothecæ Vaticanæ cuſtos renunciatus eſt , multis ad id muneris quoque aptis, ac doctrina præclariſſimis, inter quos Theleſcus Conſentinus fuit, poſthabitis.

cuna ; quanto meno devo patire, che la mia Madre non abbia a ſentire gravezza della noſtra promozione alla ſua cura ? Hò detto Madre; perchè eſſendo nato io in Guardavalle , la quale come minima parte della Dioceſi di Squillace , è mia Patria , e figliuola della detta Dioceſi , ragionevolmente ſono anche io figliuolo: e come dice l'Apoſtolo : Non debent filii parentibus theſaurizare, ſed parentes filiis, *cet. Nullo alio itaque , quo id probemus , nobis opus eſt argumento .*

bitis. Quum autem in eo verſaretur munere ſumma laude, nebulones quidam S. Sedi Apoſtolicæ regis Perſæ nomine exhibuerunt diplomata, quibus res magni momenti, quæ quidem non erat concedenda, petebatur: quibus a Guilelmo perſpectis, eorum detexit falſitatem: quod quidem ei quam maximo fuit honori. Paulo interim III. defuncto, *protonotarium* ipſum Apoſtolicum, munus ſane quam honorificentiſſimum, Pontifex Paulus IV. renuntiavit; apud quem magno fuit loco, dum cardinalis eſſet nomine Joannis Petri de gente Caraffarum. Divo Carolo quoque Borromæo familiariter utebatur; uti vel ex litteris, quas ei dabat, quæ hac in cathedrali adhuc adſervantur, clare liquet. Multa ſane pro Religione ſcripſit eo tempore, dum Lutherana hæreſis, atque Calviniana per Germaniam graſſabatur. Multa præterea de maximis rebus ad quatuor Tridentinæ ſynodi legatos, de quibus ipſum conſulebant, reſpondit; quæ quidem reſponſa perinde ac ſi Divina eſſent oracula, habebantur. Opera vero ejus, quæ

in

in Vaticana ſervantur Bibliotheca, tum altiſſimæ ſunt eruditionis, tum doctrina referta admirabili (54). Hæc quidem Guilelmi præclara facinora, ac labores diuturni Pium IV. impulerunt, ut eum ra-

(54) *Operæ pretium eſt ea hoc loco referre. Variæ ſunt lectiones in ſacram Scripturam: adnotationes in quatuor Evangelia: Adnotationes in Iſaiam: Adnotationes in Apocalypſin S. Joannis: Interpretatio ſynodi Coſtantinopolitanæ: Interpretatio Baſilii in Iſaiam: Interpretatio orationis Amphilochii: Collectio de oratione Dominica: De symbolo Apoſtolorum: Diſcurſus ſuper bulla Breviarii: Alia de Miſſali, & Breviario: Atteſtationes de officiis Eccleſiæ Conimbricenſis, & rituum Capellæ regis Luſitani: Reſponſio de reformat. in Summo Pontifice, & Sede Apoſtolica: Excerpta de geſtis Polonorum: Variæ collectiones: De S. Thoma Apoſtolo ex Græco: De præſtantia Baſilicæ S. Petri: Super Senecam: Adnotationes in Pſalterium: Bibliorum adparatus.*

raro exemplo, ſacro inſtante Collegio (55), præcipue Borromæo cardinali, purpura inſigniret. In hoc autem ampliſſimo dignitatis gradu collocatus, ædibus Apoſtolicis conſidebat; ac quidquid ſibi neceſſarium erat, de eo ſibi a Carolo Borromæo ſuccurrebatur. Poſtea autem S. Marci Eccleſia ei collata fuit; quo ſe ſtatim contulit: at illud noluit, quod ſubſidium vulgo caritativum ſinguli ſacerdotes novo Epiſcopo præbere ſolent; ſua enim, inquit, intererat pro pauperibus congere-

re

(55) *Hoc ex lapide, qui Romæ eſt in S. Laurentii vulgo Pane & Perna ædibus, ubi ſepultus est Sirletus, clarius patet*: Guilelmo Sirleto Cardinali Stilt in Calabria, hujus Eccleſiæ Presbytero S. Sedis Apoſtolicæ Bibliothecario, hebraicæ, græcæ, latinæque linguæ peritiſſimo, humanarum litterarum, diſciplinarumque ſcientia claro, eruditorum, pauperum patrono, ac parenti beneficientiſſimo, ob probitatem ejus, pietatemque ſingularem a Pio IV. Pontifice Maximo, ſacro inſtante Collegio, Cardinali creato. Vixit annos LXXI. obiit CIϽIϽLXXXV.

re theſauros . Parum tamen ibi potuit temporis commorari : nam controverſiis quibuſdam de Tridentina ſynodo exortis, Romam Pontifex eum revocavit. Pius vero V. hanc Guilelmo contulit Scylacenam Eccleſiam, qui ubi primum eam accepit, Roma volebat diſcedere. Eum vero diſceſſum neque Pontifex, neque ſacrum cardinalium Collegium ei permiſerunt. Adeo Romæ tantus vir erat neceſſarius. Sed quum ſacros canones calleret, ac difficile ſibi eſſe animadverteret, Scylacium proficiſci, quo oves regeret ſuas, ab Epiſcopatu ſe ſponte ſua coram Pio V. abdicavit (56). Pontifex autem Marcellum, de quo mox dicetur, Guilelmi ex fratre nepotem elegit Scylacenum Epiſcopum; qui ejuſdem quoque Eccleſiæ Vicarii generalis fungebatur munere. Diverſa magni momenti negotia de hujus Pontificis man-

(56) *Decipitur itaque Ughellus, qui adſerit, Guilelmum hancmet Eccleſiam* in favorem nepotis dimiſiſſe. *Quod quidem pro ſacris Eccleſiæ canonibus ſummo fuiſſet tanto viro dedecori.*

mandato expedivit, & explicavit Guilelmus, in his præcipue ſacræ ſcripturæ, ac vulgo miſſalis, breviariique Romani inſtaurationem, curamque catechiſmi elegantioris reddendi, & indicis librorum prohibitorum compilandi. In pauperes quam maxime largus: Neophytorum templum S. Mariæ titulo partim de fidelium ſtipis erogatione, partim de ſuo erigendum curavit: quod ex inſcriptione, quæ ibi extat, clare patet (57). Sed vir vere ma-

(57) *Gregorius XIII. Pont. Max.*
Templum hoc ex eleemoſynis
A populo collatis
Ædificatum privilegiis
Exornavit,
Et Catechumenorum
Familiæ attribuit
Pontificatus ſui
Anno octavo
Sal. Mun. MDLXXX.
Auctore Guillelmo Sirleto
Cardinale
Piæ domus patrono
Ac protectore.

magnus, qui parum abfuit, quin in eo *conclavi*, quo Pius V. electus eſt, Pontifex Romanus plenis ſuffragiis crearetur; ſenio tandem confectus eruditorum, ac pauperum patronus diem obiit ſupremum anno CIↃIↃLXXXV., ætatis vero LXXI.

§. XLII.

MArcellus Sirletus & ipſe Guardavalle natus, qui quod & doctrinam, & patrui mores effingere conatus eſt, propterea a Pio V. Epiſcopus creatus eſt Scylacenus. Sane & græcæ is erat, & latinæ linguæ quam maxime peritus, ſic ut ejus manuſcripta juſſu Urbani VIII. ſint Romam delata. Ea vero fulgebat animi modeſtia, ut iterum ac tertio Epiſcopi dignitatem forti animo recuſarit (58). Sed poſtea de ejuſdem Pontificis *brevi* per tres viciniores Epiſcopos, quorum alius antiſtes Facchinettus Neocaſtrenſis fuit, poſtmodum Innocentius IX. raro ea tempeſtate exemplo Marcellus in

(58) *Ita ex MS., quod in Epiſcopali erat Tabulario.*

eadem ſibi collata Eccleſia conſecratus eſt Epiſcopus . De hujus autem ſponſæ ſuæ lateribus pro ſacris canonibus nequaquam abfuit; quam ea per annos unum & viginti diligentia gubernavit , ut omnium ore optimus , ac de re Eccleſiaſtica maxime meritus paſtor diceretur . Cathedralem deinde Eccleſiam, ex antiqua in recentem curavit formam ædificari. Monaſterium quoque pro eis , quas malæ vitæ pœnitebat, conſtrui de ſuo juſſit, mulieribus S. Mariæ Magdalenæ titulo ; quod hoc quidem tempore uſui, ac receptui eſt virginibus vel integris moribus, vel nobilitate pollentibus. Admirabilis ſane fuit in Divina prædicatione; qua quidem vel homines , vel mulieres luxurioſæ vitæ ad Chriſtum , unde deſciverant, revertebantur. Plurima in pauperes largitate, ac in omnes cujuſque generis caritate valde ſingularis . Veri tandem paſtoris bene functus officio , defunctus eſt Scylacii anno CIↃIↃLXXXXIV.

§. XLIII.

§. XLIII.

THomas Sirletus Marcelli patruelis, & Guilelmi ex altero fratre Joanne Aloyſio nepos anno 1594. a Clemente VIII. Scylacenæ Eccleſiæ creatur Epiſcopus; quo quidem tempore Bibliothecæ ipſe cuſtos erat Vaticanæ. Nihil vero aliud de eo memoria dignum proditum eſſet, niſi de ipſo Chryſoſtomus Scarſous aliquid litteris conſignaſſet, virum ſcilicet, ſtudiorum curſu Bononiæ confecto, Thomam iſtum fuiſſe & græca lingua, & quaque ſcientia ſatis bene eruditum; ea ſibi in viſceribus hæſiſſe, pauperibus ſuccurrere, ceteraque pietatis officia in omnes exercere, adeo ut eo die, quo pauperum inopiam non ſublevaret, ſomno quieſcere non poſſet. Duos a Turcis captos redemit: noctu ante crucifixi imaginem diutius orabat. Quum vero rem Divinam faceret, quam nullo die prætermiſit, plurimum effundebat lacrymarum: ſe ſuo victu, potuque defraudabat. Cathedralem multum ornavit. An-

§. XLV.

AD Sirletos quarto hujus Eccleſiæ regimen rediit: nam præpropero pulſatum fato Iſareſium Fabritius Sirletus, Guilelmi cardinalis ex tertio fratre Matthæo nepos excepit, vir quam maxime probus, tam hebraicæ, quam græcæ linguæ peritus, Epiſcopus anno 1603. a Clemente VIII. creatus, annos duos & triginta huic præfuit Eccleſiæ. Illud inter cetera præcipue de eo memoriæ traditum eſt, Stilo eum Scylacenæ Diœceſis oppido, neſcio qua cauſſa per annos quinque rebus interdixiſſe ſacris. Qua de re qui regis tunc temporis Neapoli vices gerebat, is Fabritium ad audiendum verbum regium juſſit vocari: ſed, quod ſe illuc noluit conferre, at Pontificem, ſuo generali Vicario Romam miſſo, ea de re fecit certiorem, propterea ipſe & palatium Epiſcopi, & conſanguineorum domos juſſit milites inſidere. Quod quidem quum eis fuerit damno quam maximo; tamen obſidione, re perſpecta, liberata ſunt.

Reditus vero, qui ſibi ex Eccleſia proveniebant, qua pauperibus dividendos, qua Eccleſiæ præbebat adſignandos. Omnino res, maximi momenti curavit faciendas: cathedralem τȣ οργανȣ πνευματικȣ, ſuppellectilibus maxime pretioſis, argentea Divi Agathii ſtatua, qui Civitatis Scylacenæque eſt Diœceſis præcipuus patronus, in qua ejus ſervantur reliquiæ, reddidit nobiliorem. Mors denique, quæ anno 1635. accidit, quominus plura faceret bona; ei fuit impedimento.

§. XLVI.

IN Fabritii locum ſub Urbano VIII. deſuncti haud dubia quidem res eſt, quin electionem ejuſdem Pontificis, qua Ludovicus Saphirus Romanus, qui tum antiquitate generis, tum virtute maxime florebat, Scylacenæ Eccleſiæ deſtinatus eſt Epiſcopus, favor etiam & Scylacenorum, & Diœceſani cujuſque eſſet ſecuturus prodter naturam ejus, uti fama erat, quam optimam; niſi mors certe quidem immatu-

tura, e vivis hominem abſtuliſſet: nam vix dum die ſecundò ab ingreſſu Scylacii expleto, animam Deo reddidit.

§. XLVII.

JOſephus Cornius Peruſinus ordinis prædicatorum ex nobiliſſimo natus ducum ſanguine, cardinalis Sfortiæ Pallavicini frater uterinus, cardinalis Columnæ avunculus, vir doctrina maxime clarus, quum Epiſcopus eſſet Caſertanus, in Scylacenam, quam ſumma cum laude annis fere viginti rexit, ab Urbano VIII. transfertur; ac tandem Urberitanæ ab Innocentio X. anno 1656. XIII. cal. Februarias tranſcribitur. Romæ vero diem obiit ſuum anno 1678. VI. cal. Februarias.

§. XLVIII.

ROdulphus Dulcinus Cornio ſubrogatur Catacenſis; qui tamen e Bononia originem traxit ſuam. Alexandrum quippe VII., quo Scylacenus iſte eligeretur Epi-

ſcopus IV. Idus Martias 1657., vel virtus prope ſingularis, vel magnus ſuorum cumulus meritorum impulerunt. Poſtea autem in Epiſcopatu ea fuit morum innocentia, ac in litteratos amore, inque pauperes caritate, ut ne maledicorum quidem fucati oris quidquam valuerint adverſus eum impia tela. Epiſcopale palatium, uti fama eſt, ampliavit, quamvis nullum de eo pateat veſtigium. Cathedralem Eccleſiam & ipſe de ſuo exornaſſet, niſi immatura eum mors non ſine omnium plantu, eccleſia per annos ſeptem gubernata quam optime, eripuiſſet anno 1664.

§. XLIX.

FRanciſcus Tirotta Guardavàllenſis, obſcuro natus loco, ab adoleſcentia ſua in hac Epiſcopali curia inter ſcribas fuit, quum patriæ ſuæ eſſet Archipresbyter, non ſine omnium admiratione ſub Alexandro VII. anno 1665. XIX. Kal. Martias Scylacenus evaſit Epiſcopus. Satius quidem eſſet, ſi nullum de hoc Epiſcopo verbum facerem: nam præter paſtoris non legitimi

timi famam, res nec bonas, nec dignas, quæ litteris conſignarentur, Scylacii geſſit. Operæ igitur me pretium factum puto, ſi omnia ſilentio involvam. Undecim hic annos fuit epiſcopus: Guardavalle tandem patria ſua (58) non honorifice mortuus eſt VI. cal. Februarias anni *1676*.

§. L.

PAulus Philocamus, patricius Rheginus, & illius Metropolitanæ eccleſiæ canonicus, vir ſane tum doctrina, tum prudentia præditus prope ſingulari, propter ea, quæ & in Calabris populis, & in Romana curia quam maxime ſtrenue geſſit, Frederico cardinali Columna rogante, anno *1676*. a Clemente X. Scylacenus creatus eſt antiſtes. Maximus atque

(58) *Ughellus Scylacenum ſcripſit eſſe hunc Franciſcum. At Guardavalle ipſum natum eſſe, certum eſt quam quod maxime; quemadmodum hodie Scylaceni graves annis, ceterique adſerunt.*

atque acerrimus fuit eccleſiaſticæ libertatis propugnator : multis præclare Scylacii geſtis, morbo correptus, XVIII. cal. Sextiles 1687. mortuus eſt.

§. LI.

ALphonſus de Aloyſio e Montealbore, qui in Piceno non ſolum generali, ſed & Apoſtolico non ſemel functus Vicario munere ſumma cum laude, ab Innocentio XI. anno 1688. hujus Eccleſiæ electus eſt Epiſcopus. Septem vero annis hancmet ea in ſubditos caritate gubernavit, ut objurgaret neminem, omnibus placeret. Sed morte præventus anno 1694. cal. Maiis iter carpſit ſupremum.

§. LII.

JAnuarius Criſpinus ſucceſſor eccleſiam regebat Minorenſem, ex qua in hanc XIV. cal. Sextiles anni 1694. tranſlatus eſt. Magna quidem, quæ pro hac eccleſia diuque noctuque animo agitabat ſuo,

ſuo , geſſiſſet , niſi vitam cum morte anno 1797. commutaſſet .

§. LIII.

FOrtunatus Durantus humili natus loco Albis Diœceſis Catacii: at pro eminenti doctrina, præcipue ſacrorum canonum, & antiquitatum eccleſiæ peritia adeo nobilitatus eſt, ut, quibusdam etiam invitis Scylacenis, qui de poſſeſſione altercabantur. hujus ipſi collatæ eccleſiæ; creatus ſit Epiſcopus. Ejus vero regimen quo mitius in presbyteris ordinandis pro eorum temporum conditione inque rebus Diœceſis optime gerendis, eo quidem ſeverius in juribus Eccleſiæ ſuæ ſervandis geſſit. Nam gubernatorem hujus civitatis Joſephum de Lariviera; qui juſſit, reditus nundinarum S. Agathii, quos Scylacenus Epiſcopus pro ſuo ſemper jure exegit, ad earum magiſtrum pertinere, Eccleſiæ cenſuris percuſſit. Immo vero monachis Carthuſianæ religionis, qui ſanctis repugnantibus veteris monaſticæ vitæ inſtitutis, plu-

plura intra Scylacenam Diœceſin de re ſpirituali multis abhinc annis inferiorum prælatorum nomine regunt oppida (59), litem quanto juſtiorem, tanto quidem intendit fortiorem; cujus certe partem retuliſſet meliorem, niſi poſt annos unum & viginti, quo magna in pauperes caritate hanc rexit eccleſiam, de vita diſceſſiſſet Stalatii III. Idus Februarias 1718.

§. LIV.

MArcus Antonius Attaſſius Stineanenſis non jure imaginum, ſed doctrina ſua nobilis factus eſt. Fuit enim ab adoleſcentia adeo ſtudio deditus, ut ætatis ſuæ cum primis compararetur. Is & humaniorum litterarum, & Philoſophiæ, & Theologiæ confecto curriculo, ſe contulit Scylacium, ubi pro ingenio ſuo, ac morum probitate hujus parœcialis Eccleſiæ S. Petri œconomus factus eſt curatus.

(59) *Ea ſunt Montaurum*, *Gaſparina*, *Spatula*, *Serra*, *&c.*

tus . Parocho interim viduata erat una ex tribus Stili parœciis . Habito interea temporis de more concurſu , Marco Antonio fuit parœcia collata ; quam plures per annos rexit , adeo ut laus illi deberetur ſumma . Hæc itaque cauſſa fuit , cur Epiſcopus illius temporis fuerit impulſus , ut Parochus Marcus Antonius huic ſeminario rector præficeretur . Sed accidit , ut per quoſdam ſibi invidos fama macularetur ſua ; eamque ob rem male apud Scylacenos cæpiſſet audire . Qua de re neceſſitate coactus , ope & auxilio , quod nobilis Scylacena familia de Pepe ei præbuit , in fugam ſe convertit , ac Neapolim recta petiit . Ibi vero non multum poſt temporis laurea donatus , pauperum patronus pro ſua virtute , atque pietate in Neapolitana Pontificis legatione electus eſt. Quo quidem munere ea in illos caritate multos annos functus eſt , ut ſibi tamquam veterano Romanæ Eccleſiæ militi Sarnenſis Diœceſis collatum eſt regimen. Ea per diligentem paſtorem tredecim annos recta , in hancmet translatus eſt Scylacenam : quam pari , quæ

ſibi

ſibi inerat , caritate , ac diligentia quatuordecim annos gubernavit . Pauperibus non parvum præbebat auxilium ſtipis erogatione: quod vel ex quinquaginta nummis aureis , quos monaſterio S. Franciſci Saleſii hujus civitatis ſiugulos in annos ſufficiebat, intelligi poteſt. Verbi Dei prædicator eximius , ſic ut præclarum eſſet concionatorum exemplar : immo etiam majores noſtros videretur æmulari. Mitis certe natura ſua erat : at quidam , qui circumſtabant, eum conabantur æquo rigidiorem efficere . Etenim Chriſti Sacerdotes nudato pede , vinctiſque manibus per ſummum Eccleſiaſticæ dignitatis dedecus in carceres trahebantur. Quod quidem negotium ex ſuavi Chriſti jugo non fuiſſe, conſtat inter omnes. Petritii tandem, ſenio confectus: ubi plerumque degebat diem obiit ſuum.

§.LV.

§. LV.

NIcolaus Michaël Abbatius Barolitanus non ſummo prognatus genere; in virum tamen illuſtrem nobilemque virtute evaſit ſua. In primis alta fuit mente, ac non inferiori ipſe rerum præditus cognitione, inque rebus capeſſendis vel maxime ſingularis. Quare ſub cardinali Caracciolo Epiſcopo Capuano plures per annos generalis Vicarii obiit ea laude munus, ea quidem juſtitia, ut vulgata tanti viri fama quam optima, Calenenſis Epiſcopus ſit electus. Sed Caleni quidem cives optimo antiſtite nequaquam erant digni: nam ingrati animi vitio eorum quidam quaſi cuniculi conſuebant dolos, quo efficerent, ut ſollicitus de re Eccleſiaſtica paſtor diem ſuum clauderet extremum. Quod autem providus rerum creator Deus ſartum Nicolaum tectumque volebat ad Scylacenam Eccleſiam ſervandam, imminenti eum periculo amovit. Sed enim hæc Eccleſia tunc temporis viduata erat paſtore: at qui Scylacii moram

ram faceret , eum Scylaceni omnes a Deo paſtulabant Epiſcopum. His ita orantibus nuntiatum eſt, Nicolaum ad viduatæ Eccleſiæ regimen non ſine Divino numine translatum. Nec eorum preces nullius fuerunt momenti; quandoquidem ut primum in cathedralem ſuam ingreſſus eſt bonus paſtor pridie Dominicæ nativitatis, quum ejus inſpexiſſet formam, quæ ſane ſummo erat dedecori vigilanti, Deique cultui Epiſcopo intento , architectum juſſit vocari ; cui dato tercentum aureorum arrhabone , optimum pactus eſt ſibi conſtrui templum ; quod deinde per pictorem Ricciolinum ea tempeſtate celeberrimum picturis ornandum curavit . Id præterea ſericæ telæ adparatu , τω οργανω ηνευματικω , argentea Divi Agathii ſtatua , atque urna , in qua ſacræ ejuſdem cuſtodiantur reliquiæ , reddidit illuſtrius. Quod vero maxime pius erat, ac religioſus, morem ipſe peopterea induxit , quo in cujuſque anni fine SS. Ambroſii , & Auguſtini hymnus magna cum ſollemnitate caneretur; quo præterea a palmarum Dominico die ad feriam uſ-

uſque quartam per horas quadraginta Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publicæ exponeretur religioni. Capitulum Suppari, ſeu vulgo Cappæ magnæ uſu ornavit; Theologalem denique *præbendam* de ſuo inſtituit. Neque id ſolum vir quidem ingenii magni ſpectavit. Vix duodecim juvenes eo tempore capiebant *clericalis* ſeminarii ædes. Rem animo ſecum ipſe reputans, maximum pro Diœceſis ſuæ vaſtitate ſubditorum eſſe numerum, ac ex ſanctiſſimis Romanæ Eccleſiæ ſtatutis debere, qui ad ſacerdotium cupiunt promoveri, pietate non ficta, ſana quidem doctrina in ſeminario inſtitui, continuo qua de ſuo, qua de reorum multis juſſit latiores fieri ædes, adeo ut centum juvenes poſſent ibi commorari virtutibus informandi; uti factum eſt. Summa ejus erat vigilantia tum de victu, tum de recta eorum inſtitutione. In omnes præterea maximam adhibebat curam: cujus præcipue clarius Scylaceni omnes fecerunt periculum, quum pro peſtis timore, quæ ne in reliquas regni regiones irrueret, ti-

mebatur , vallo , ac foſſa a ſtalatio per hujus Civitatis vicinias ducta, certe quidem a militibus male eſſent mulcati, niſi Nicolaus , quippe qui ſe eorum dicebat patrem, quidquid vel eis , vel militibus eſſet neceſſarium ad victum , id omne de ſuo emi curaſſet , atque adſportari . Tunc enim vero de communi omnium conſenſu Saturnia regna ſub tanto antiſtite rediiſſe in Scylacenam Diœceſim dicebantur. Etenim in animarum ſalutem, quod Epiſcoporum ſane præclarius eſt munus, & animo, & opibus incumbebat. Nulli quidem parcebat impenſæ, quo pauper quiſque quod manducare poſſet, haberet. Jam vero ſuorum ſe velle rationem Sacerdotum ab omnibus haberi, ſane quam perſpicuum eſt: nam ſi eorum ad ſe nomen deferebatur, haud fieri poſſe, ajebat, ſacerdotem ſuum id potuiſſe criminis committere. At poſtea optimus paſtor de vita, & honeſtate clericorum maxime ſollicitus omnes ad frugem bonam reducere nunquam deſiſtebat . Sed quatuordecim poſt annos, quo Scylacenam Eccleſiam rexit

xit Nicolaus, mortali cœpit febre laborare. Quem quidem morbum vix dum Scylaceni auribus acceperunt, ad preces, lacrymaſque effuſi juvenes, ſenes, Sacerdotes, cujuſque generis homines, ſe ſtatim in patrum *cappuccinorum* hujus civitatis domum contulerunt, ubi miraculoſa ſervatur. Redemtoris noſtri crucifixi imago; qua quum dolentem habuiſſent ſupplicationem, nullus eorum precibus pro eo, qui jam vitam cum morte commutavit; ſed locus relictus eſt pro quam maximo, ac præclariſſimo ejus ſucceſſore

§. LVI.

FRanciſco Xaverio Maria Queralt y Aragona Barcionenſi, & Barolitano patricio e comitibus S. Columbæ, Sacræ Religionis Jeroſolymitanæ equite, ejuſdemque privilegiorum conſervatore. Eximiæ hujus virtutes, omiſſa ſui generis nobilitate, qua quidem prædeceſſores longe antecibat, eminentiores ſunt, quam ut quid ego de ipſis pro veritate differam: tantum enim abeſt, ut magis illuſtrentur,

quin potius verbis poſſint obſcurari. Etenim nullam de illis habens orationem, quæ Baroli, inque finitimis populis, quo vel pauperum ſublevaret inopiam, vel omnes cujuſque generis rebus Divinis erudiret, præſtitit caritatis officia, ut primum Scylacenæ haud dubia cæleſti diſpoſitione Epiſcopus deſtinatus eſt, pro virili parte maximopere ei reſtitit mune. Sed quum vincere certabat, ipſe quidem victus eſt: nam Dei gloria, vehemens, ſummaque pietas in Virginem Mariam, quippe quæ patrona ſua, ac populorum ſalus, ad id muneris accipiendum impulerunt. Dei ſcilicet Matrem diligebat quam qui maxime; atque adeo dubito, huicne adverſus eam amore nemo anteferatur, an vel pauci pares putentur. Omnino quum in hujus venerit Eccleſiæ poſſeſſionem, ne ſibi illi, qui de more novo debentur Epiſcopo primum ingreſſuro, honores præſtarentur, parvam ejus ſtatuam ipſe præferebat: quem ſane morem & in ſingulis Diœceſis oppidis eadem ſemper præſtitit obſervantia. Quamobrem ut in tantum Scylacenus quiſque an-

antiſtitem oculos convertebat ſuos, eumque ſimul ſtupebat ita maxime cum gaudio, tum lætitia perfundebatur inſolenti. Nec vero ullum, utpote qui ex eo eam ob rem magna expectabat, ſpes umquam fefellit: nam tanta in pauperes flagrabat largitate, ut non ſolum Eccleſiæ reditus, ſed quam etiam quoque anno ex conſanguineis percipiebat pecuniam, in eos quotidie & per ſe ipſe, & per alios pro re nata erogaret. Poſtea vero hiemali tempore, quum ne pauperi quidem pro nivis copia e domo ſua victum oſtiatim quæritaturo egredi licebat, in plures mulos multam jubebat imponi annonam, civitatem ipſe circumibat, ac eam pro ſua cuique indigentia dividebat. Pauperibus quoque, maxime peregrinis, quibus pedes lavabat, magnos ſingulis diebus præparabat adparatus; linteis vero cinctus, attentam illis hilaremque ſerviebat ſervitutem: at ipſe minimo contentus erat cibo, atque vulgari, cinere ſæpe amariſque liquoribus condito; tamen pro convivis, qui clerici plerumque erant ordinis cujuſque (nec Epiſcopi mi-

nuebat dignitatem) fercula curabat quam maxime ſtruenda. Genium autem defraudabat ſuum, atque adeo ex iis, quæ potiora in regione ſunt ciborum, unum ſibi quidem in ſingulos annos negabat, quod deinceps non deguſtabat amplius. Sed quo in egenos benignior, eo adverſus ſe ipſe crudelior erat. Etenim duobus, qui adhuc vivunt, quibuſcum ſum & ego locutus, hac conditione ſtipendium dabat, dum ſe vel crucifixum in modum, vel columnæ ligarent, idque, quod ſciebat alter alterum lateret. Itaque alter eorum, qui erant mercede conducti, ſane quam invitus, remotis arbitris, iis hominem cædebat verberibus, ut ſanguis deflueret, ipſo dicente: *aſinum percute*, *percute fortiter*; quo quidem vocabulo corpus donabat ſuum. Interea autem temporis eo erat habitu oris, ut nemo unus id poſſet animadvertere. Cubile ſibi erat & nobili conopæo, & culcitis inſtructum teneris; humi vero cubabat: noctuque ſolus ante Sacramenti Euchariſtici altare plus vigiliarum, flexis genibus, plerumque pro pietate ſua tranſigebat. Quod au-

autem ſub pedum plantis ſtimulos tenebat ferreos ; propterea ut unumquemque id præteriret , duorum manibus , magis magiſque graviori Epiſcopi dignitate hoc ipſo adparente , ſuſtentabatur . In publicum vero ſibi prodeundum erat propter admirandam in ſanctiſſimum altaris Sacramentum, inque Dei Matrem religionem , adeo ut quamvis Scylacii quinque ſint non modicæ parœciæ ; tamen venerandum *Viaticum* ad infirmos diuque noctuque ipſe deferret ; nec Parochis id , eo vivo licebat ferre . Qua de re cum alterius quiſque pietate gloriabatur certare : quæ ita in ſingulos dies auctior fiebat . Quod ſi pauperes infirmi eſſent , quidquid ſibi neceſſarium erat , id omne eis a provido paſtore, in quorum ſe domum quotidie conferebat , largiter proſpiciebatur . Jam vero pietas , qua mirandum in modum adfectus cernebatur , quum vel *corporis* Chriſti , vel immaculati Dei Matris conceptus dies celebrabantur feſti , tanta quidem fuit , ut ſupra quam cuique credibile ſit . Tunc enim temporis apud ſe quaſi non amplius eſſe

 vi-

videbatur , virique ſancti ſpeciem præſeferre . Maximam utraque de feſtivitate agere impenſam: cum templo, tum magnificis ſupplicationibus, quibus pedes incedebat caligis tantum inſtructos, aromata multa , atque adeo gemmas , lapilloſque , quæ manu quidem pinſebat ſua, adolere . Si quis autem dicere audebat , nullum ea bonum odorem emittere , futurum eſſe , ut cor quoque ſuum, æque ac lapillos, gemmaſque Patronæ, ejuſque Nato poſſet pinſere.

Ad hoc vir prope ſingularis ardebat altaris Sacramentum , ut quidquid ſibi erat maximi pretii gemmarum , lapillorumque , quæ utpote Aragonenſium heres habebat, id præter combuſta Deo dediderit; quandoquidem ex illis binas pyxides , ac celeberrimum magni ponderis, rarumque vulgo *oſtenſorium* , gemmis ornata ſane peregrinis, magnumque aureum calicem faciendum curavit , templumque ſacrum picturis ornandum , quæ multa Matris Virginis exhiberent myſteria; artiſque quoque novæ tumulum , ubi die quinta majoris hebdomadis ſervaretur Je-

ſu

ſu Chriſti corpus Sanctiſſimum , ſuggeſtumque conſtruendum quam maxime aptum . Quadraginta vero diebus ante feſtum Paſchæ , quibus pro nimia pietate ſua , civitatiſque ſalute efficere ſibi curæ fuit , ut in quaque Scylacena Eccleſia per horas quadraginta maxima cum pompa venerandum Chriſti corpus (quod adhuc ſervatur) publice exponeretur , ſemel contentus erat quid cibi manducare quam minimi . Eo autem tempore qua in hac , qua in illa Eccleſia res ſemper novas ab ortu ad occaſum uſque ſolis admirabili prædicabat ſtudio . Id quippe Apoſtolici muneris reliquis anni diebus , quum Diœceſim etiam luſtraret , quorum animos ſumma in Deum , Deique Matrem inflammavit caritate , ea cura adimplebat , eoque populis uberrimo fructu , ut peſſimi quique partim ad bonam ſe frugem reciperent , partim vel non faciles eſſe ad vitia , libidinemque ponerent initium . Uſque eo tanti viri ſanctitas toti provinciæ , atque adeo Regno Neapolitano , exteriſque pluribus nationibus nota erat . Eccleſiæ functionibus vel mini-

m s

mis non defuit umquam. Humilitate vero, ac patientia fulgebat ſingulari, ut quamvis pro ſui generis nobilitate, & impetuoſa vehementique corporis natura impatientis elatique præbuiſſet hominis ſpeciem; tamen motibus animi turbulentis forte injiceret frenum, tropæumque nobile referret: pavimentum enim Cathedralis ſuæ horis meridianis verrere, vilia quæque exercere, ac quod ſibi eſſet contrarium, id æqui bonique facere. Super hæc pro recto Diœceſis ſuæ regimine Synodum, quæ ex hujus temporis diſciplina *Diœceſana* adpellatur, indicendam curavit, ſumtibus non minimis confecit. Maximæ ſibi curæ ſacerdotes, valdeque ſingulari fuerunt, qui in ſeminario clerici virtutibus neceſſariis inſtituendi moram faciebant. At poſt quatuordecim annorum ſpatium, quo Scylacenam Eccleſiam optimus, vereque ipſe patriæ pater rexit quam ſanctiſſime, in morbum incidit, & contra ac medici erant auſpicati, Sacramentis rite ſuſceptis, oculiſque Patronæ ſuæ imagini fixis, anno 1762.

1762. IV. Idus Novembres tertia noctis vigilia animam, quaſi morte prævisa, Deo reddidit. Quod ut notum fuit Scylacenis, nemo cujuſque generis ordine ſtetit ſuo: at per vicos plateamque quippe pupilli omnes patris ſui plangebant mortem doloroſam; ipſoque plantu benedictis certabant, nec poterant acquieſcere. Ejus porro cadaver duobus pene diebus, quo populorum ſatisfieret pietati, publice expoſitum eſt, cuſtodia circumdatum perpetua. Propter vehementem vero adverſus Franciſcum Xaverium patrem ſuum religionem iterum ac tertio ſacris indui veſtibus, poſtea exui opus erat, quas una cum reliquis veſtibus ejus ſanguine imbutis perinde ac reliquias adhuc pie religioſeque Scylaceni ſervant, exterique. Multa, uti viri cum boni, tum veraces ad hunc uſque diem viventes adſerunt, miracula perpetravit; ac ad ejus tumulum quotidie recurritur.

§. LVII.

§. LVII.

DIdacus Genuenſis e gente patricia canonicus Rheginus, qui quamvis habitu eſſet corporis nec fervido, nec vehementi ; tamen maxima virtutum vi florebat, adeo ut cum primis comparandus ſit. Nullis homo commodis ſerviebat ſuis : at quidquid redituum ſibi erat Eccleſiaſticorum partim pauperi cuique, nihil tamen præſeferens, curabat erogandum, partim cathedrali ſuæ deſtinandum, uti vel ex ſupellectilibus, argenteis ſacrarum reliquiarum thecis, marmoreo denique pavimento perſpicitur. Quod autem egenis jubebat diſtribui, ejus quidem pro rata quiſque portione cum Scylaceni pauperes ordinis cujuſque, tum Diœceſani erant participes. Tribus quoque virginibus paupertate oppreſſis triginta nummos aureos in ſingulos annos ex æquo erogabat. Honeſtis vero domibus, quæ pro eo, qui ore incandeſcebat, nimio rubore, victum non poterant oſtiatim quæritare, ſumtus ſuppeditabat neceſſarios.
Hu-

Humanos adfectus vel precatione compeſcebat, quæ ſingulis diebus ad duas ipſas horas producebatur, vel corpus cædendo verberibus. Mundus a quaque fuit libidine: ex Scylacenis tamen fuit, qui neſcio, qua cauſſa, eo pervenit, ut apud Regem pudicum caſtumque antiſtitem peſſimo accuſaret crimine, quippe qui cum muliere rem habuiſſet. Quam ſane calumniam quum æqui bonique feciſſet paſtor optimus, ſatiſque interea temporis pertuliſſet ignominiæ, de ea quippe impudenti, cognita Epiſcopi innocentia, moribuſque integris, juſtus rex ſumſit ſupplicium; quum quæſtionem in ipſum inſtitutam in Scylacena platea juſſerit comburi (59). Illud quidem non eſt ſilentio prætereundum, tantæ oves ſuas ſibi fuiſſe curæ, ut ſi quas intelligebat aberrare, quove morbo laborare cœpiſſe, extemplo quam maxime ſatageret, ac medicinam ſtuderet parare: quæ quidem ſi nihil ipſis adferret ſanitatis, lacrymantem

(59) *Per Typhonem Protam, a ſecretis cataciiprovinciæ lecto diplomate Regio, combuſta eſt.*

tem famuli cernebant pium paſtorem, atque adeo pro eis agentem pœnitentiam. Quum autem de rebus Divinis ad populum dicebat (id ſæpius Scylacii, ſæpeque in reliquis Diœceſis oppidis) ſane quam erat admirabilis : nam ea erat dicendi venuſtas, ea quidem doctrina, ut & ſummo eſſet auditoribus delectamento, & fructus ex illa exiſteret uberrimus. Scrupulis vero angebatur vel maximis; quibus ſi caruiſſet, dignus ſane eſſet, qui ſuis prædeceſſoribus diceretur excellentior. Propter adverſas denique res, quas non periniquo paſſus eſt animo, ægrotare cœpit, ac de Medicorum (60) con-

(60) *In iis præter Vitalianum ſtandam ejus medicum ordinarium ſane doctum præcipuus fuit Joſephus Prazzaus Stalatii; qui quum vir ſit non ſolum in arte medica, ſed in omni quoquere quam maxime peritus, ſe ab Epiſcopo rogatum in itinere præbuit comitem; ad quem interrogantem, quis ſuus eſſet morbus, currarine poſſet, reſpondit, morbum ejus nullam admittere curationem. Quo au-*

conſilio Rhegium profectus eſt: ubi, poſtquam nihil juſſit eorum ; quæ ad Scylacenam Eccleſiam pertinerent , ſibi ſuos neceſſarios retinere, ſed omnia ſtatim remittere Scylacium , IV. cal. Junias anni 1778. obiit

II.

cælum oculos elevavit , gratiaſque hoc ipſo Deo egit . Paucis vero poſt diebus naturæ ſatisfecit .

LVIII.

NIcolaus Notaris Didaco ſucceſſor oppidi S. Catharinæ, cujus majores ex antiqua perilluſtrique familia, quæ Nicolæ in proceribus ſemper habita eſt, in Bruttios neſcio quo caſu ducti, ſuam traxerunt originem. De hujus autem ab Bryſtacienſi in hanc Scylacenam Eccleſiam translatione nihil, niſi Divinum cogitemus miraculum, quippe quod dignum quidem eſt, quod ubique evulgetur. Hunc autem noſtrum Alexandro Diacono Alexandriæ poſtea Epiſcopo comparare poſſumus, quem infamis Arius, peſſimus illius Eccleſiæ presbyter, ejuſque fautorum turba ſunt ob impios animi ſui motus perſecuti. Nicolaus itaque ex ephebis nondum exceſſerat, quum ejus avunculus Ferdinandus Mandaranus Strongylenſis Eccleſiæ Epiſcopus, in Oppidanam poſtea translatus, vir tum doctrina, ac præſertim linguarum peritia clarus, tum quidem morum probitate ſpeculum in ceteris clariſſimum, ejus animadvertens ingenium rei Divinæ quam maxime intentum, magna in ſpe

 fuit,

fuit ; non ſororis filium ſolum fore ſibi curæ , ſed juvenem quoque educaturum, qui multum in Eccleſia Dei eſſet profecturus . Ejus vero ſpem optimus adoleſcens maximopere auxit . Enimvero ſub ſevera ejuſdem , ac ſana diſciplina & in litteris,& prudentia, qua quidem ceteros præcelluit, ſane quam profecit. Presbyterum vero factum, Neapolim, Romam inde Mandaranus miſit ſtudiorum cauſa. Laurea poſtea donatus, Locros, hodie Hieracium ſe contulit , functurus *generalis Vicarii* munere, quod ſumma laude , ſummaque juſtitia, eamque ob rem ſummo omnium plauſu exercuit ; quod vel ex plurimo ipſius Locrorum Epiſcopi,& cujuſque illius civitatis ordinis teſtimonio ſatius quidem eſt intelligere , quam ut verbum unum addam . Idem poſtea muneris in Oppidana Diœceſi mira in ſubditos benevolentia , parique , quæ ſibi inerat juſtitia, ac prudentia per aliquot annos geſſit . Quum autem hanc regeret Eccleſiam Franciſcus Xaverius Maria Queralt, vir, ut ſupra dictum eſt, omni laude dignus, Nicolaum quoque propter morum can-

candorem ſuum optavit Vicarium ; qui hanc Diœceſim pro munere ſuo tanta novem annos accuratione tractavit , ut , eo defuncto, Didacus Genuenſis Franciſci ſucceſſor ipſum in eodem officio confirmaverit, Hoc autem tempore in Sacerdotem quemdam Scylacenum (61), ſimoniaca labe infectum, ad ſacrorum Canonum ſanctiones, regnique politiam pro ſuo jure inquiſivit Nicolaus. Licet vero quam juſtiſſima fuerint in ipſum reum acta, quemadmodum, præter dignorum virorum teſtimonia, quæ litteris conſignata ſunt, atque adeo edita , tutum me, & ſecurum hac ſuper re cum boni, tum fide digni Scylaceni plerique reddiderunt; tamen ad ſuprema ille , ut fert hominum natura, provocavit tribunalia. Interea autem temporis Catacii eodem per annos quatuordecim functus munere , quo etiam tempore *Cimeliarchæ* Civitatis Oppidi, ac poſtea , præter vulgo ſubcantoratum Catacenſis Eccleſiæ, prima decanatus ejuſdem dignitate inſignitus eſt, multa propter juſti-

(61) *Hic fuit Antonius Caſſadonti.*

ſtitiam, & jus, quod contra reum illum pro ſacris Canonibus dixit, perpeſſus eſt mala. At factum eſt mirabili Dei providentia, quæ viros bonos per malos hic quandoque exerceri jubet, quo eorum virtus, atque juſtitia magis magiſque eluceat, ut invictus ſemperque pius Ferdinandus IV. Rex noſter Nicolaum, quippe qui Epiſcopali Eccleſia Bryſtacienſi, vulgo Umbriaticenſi dignus, Pio VI. P. M. commendarit. Qua ſibi collata Eccleſia, ob adverſam ibi valetudinem ſuam Pontifex in hancmet Scylacenam ſponte ſua eum tranſtulit (62). Tanta quidem inſecta-

(62) *Non abs quidem re eſt, ſi Pontificiam Epiſtolam ad Nicolanm miſſam heic referam : „ Intus: Pius PP. VI. Venerabilis Frater ſalutem: Quæ magna ſolet „ eſſe gratificantis voluptas, cum apud „ memores, gratoſque homines beneficium „ collocaſſe intelligit, eam nos quidem percepiſſe videmur, lectis litteris tuis, quibus gratias nuper egiſti, quod te ab „ Umbriaticenſi Eccleſia translatum, Squil- „ la-*

ſtatione opus erat, ut Scylacenæ Eccleſiæ, in qua magnam ipſe vexationem æquo animo tulit, Paſtor nec opinato efficeretur. Illud vero non eſt hic ſilentio prætereundum, ſe paucis ante annis, quam Epiſcopus factus eſſet, Epiſcopatus non acceptandi, neque generalis Vicarii exercendi muneris votum emiſiſſe: quod quidem magni viri dignum vir & litteris, & pietate clarus, quem ille hac de re conſulebat, neutiquam adprobare voluit. Multa hoc loco ejus referrem

„ *lacenſi præfecimus. Nihil profectò illis* „ *reverentius, nihil officioſius. Nam &* „ *grati animi ſignificationem habebant ſatis luculentam, & illud ipſum, de quo* „ *gratias agebas, profitebantur ab ea benevolentia profectum, qua te paterne* „ *complectimur. Valetudinem enim tuam* „ *in hoc negotio potiſſimum ſpectavimus,* „ *qua quoniam minus firma apud Umbriaticenſes utebaris, Apoſtolicæ æquitatis* „ *erat aliam tibi ſedem quærere, eamque* „ *ſalubriorem. Id cum præſtiterimus, eſt*

„ *pro-*

rem præclara facinora, niſi laudum ipſe ſuarum tribuentes præconium qua pollet auctoritate, quam maxime compeſceret. Quartus pene eſt annus, quo hanc regit Eccleſiam ea in omnes caritate, ea quidem vigilantia, ut ſubditorum ſervet pacem & quietem; nemini diſpliceat, ſatis omnibus faciat. Quin de inſectatoribus; atque ipſis inimicis benemeretur. Pauperibus, maxime occultis ſuccurrit: diſciplinam Eccle-

„ *profecto*, *cur tibi primum*, *deinde novo* „ *gregi gratulemur*, cui tanta vigilantia, „ tantaque virtute Paſtor obtigit. *Nobis* „ *quidem gratiſſimum erit*, *ſi ea de tua* „ *valetudine*, *quæ magnopere cupimus*, „ *audiamus*. *Idque a Deo precamur Apoſtolica benedictione*, *quam tibi*, *venerabilis Frater*, *peramanter impartimur*. „ *Datum Romæ apud S. Mariam Majorem nonis Auguſti MDCCLXXVIII. Pontificatus Noſtri anno IV. Philippus Bonamicius a latinis litteris Sanctitatis Suæ. Foris*: *Venerabili Fratri Nicolao Epiſcopo Squillacenſi*.

cleſiaſticam pro virili parte in Diœceſi curat ſervandam. Sed quo propenſior ad tirones ſacerdotio initiandos, eo quidem ſeverior, ut in Seminario recta fiat eorum inſtitutio, pro qua, ut mihi conſtat, maximam adhibet curam, atque vigilantiam. Palatium Epiſcopale novis fabricis effecit magnificentius; illudque, quod in ora maritima vulgo S. Mariæ de Roccella nomine quaſi de novo publico bono conſtruendum curavit, tum magnificum, tum maxime utile eſt. Deum interim rogamus, ut tantum paſtorem nobis incolumem ſanumque diu conſervet; ſiquidem multa facturus eſt, quæ poſteris ſcio fore utilia.

PRO MEA DEVOTIONE

SCYLACENORUM MARTYRUM

VITAM COMPOSUI,

A C

S. AGATHII

HYMNOS.

SEptimio Severo Romanorum Imperatore cum in omnes undique ſæviviretur eſt Chriſtianos, tum Carthagine ſub Saturnino proconſule gentium furor atque iracundia magis quotidie magiſque efferbuit. Ibi enim tunc temporis & vera pietate, & ſumma in Deum caritate florebant Speratus, Narzalis, Cythinus, Veturius, Felix, Acillinus, Laetantius, Januaria, Generoſa, Veſtina, Donata, Secunda. Horum vero primus ve-

veluti ceterorum ſignifer, quum ſeſe omnes proconſuli ſtitiſſent, eidem apud ejus imperatorem, ſi idola colerent, veniam conſequturos promittenti, id dedit reſponſi: nulli quidpiam nocuimus, nulli fecimus injuriam, nulli denique immixti ſumus iniquitati; quibus quidem malis ſi ipſi quandoque adficiamur, id proculdubio æquo animo accipimus, Deoque noſtro agimus gratias perinde ac ſecundam in quaque re pulcherrime ferimus fortunam; omnibus ſane precibus pro iis Deum oramus, a quibus ipſi ſumus per injuriam vexati: qua quidem in re plene imperatoris noſtri obſequimur voluntati, qui hanc nobis vivendi regulam præbuit.

Saturninus vero ubi multa inania de religione ſua gentium more fuderat, ſeque per ipſius genium pro re nata adſerit jurare, Diisque ſuis, ut ſartus ille tectuſque ſit, preces adhibere: Speratum præ ceteris, quem quam maxime ſtudebat titillare, ita interrogavit: jures & tu, Sperate, oportet, ſi hujus vitæ præſentibus commodis frui velis, per ipſius imperatoris noſtri genium. Mihi, Speratus

tus inquit, ignotus quidem fuit genius ipſe; at ſupremo Regum Regi obſequi moremque gerere debeo, quem adhuc oculorum ſenſu nemo unus vidit, nemo eſt deinceps viſurus. Nullam vero dignam, quæ legibus puniatur, patravi naxiam: unum rerum omnium, per quem omnia facta ſunt, Regem, atque Dominum cognoſco. Ad ceteros deinde Sperati ſocios reſpicit proconſul his verbis: ne vos hunc delirum hominem ſequamini. Satius quidem vobis eſt principem noſtrum vereri, ejuſque parere legibus. Pari autem virtute reſpondit Cythinus, nullum ſibi alium Regem, præterquam rerum omnium factorem, qui in altis habitat, verendum eſſe. Hoc itaque ob reſponſum in carcerem eos detrudi juſſit, ipſiſque ad craſtinum diem compedes impingi.

Poſtero autem die quum pro tribunali ſediſſet proconſul & ad ſe Chriſti athletas trahi juſſiſſet, ita ad mulieres locutus eſt: Imperatorem noſtrum revereamini, remque divinam Diis noſtris facite. Tunc enim vero Donata non muliebri, ſed virtute potius virili, Cæſari, inquit, quippe

pe Romanorum Imperatori, honorem non gravamur præſtare, ſed Deo noſtro offerimus, eique preces noſtras fundere debemus. Saturminus autem ut primum Deos ſuos & a Veſtina, & Secunda quoque omnino contemni animadvertit, ut ſejungerentur, ſtatim præcepit, animoque irato, vis ne etiam, Sperate, dixit chriſtianus eſſe? Quumque non ipſe ſolum, ſed & ceteri ſocii in eadam perſeverarent conſtantia, ad proconſulem, quos libros legerent, ab ipſis quærentem, reſpondit Speratus, quatuor nimirum Evangelia, D. Pauli Epiſtolas, ceteraſque denique, quas Spiritus Sanctus dictavit Sacras Scripturas. Qua de re ira motus proconſul, triduum eis, quo reſipiſcerent, conceſſit. Sed, quoniam eorum in Deum caritas ferventior in dies fiebat, ut capite Chriſti pugiles plecterentur, imperavit. Quæ ubi ipſis lecta eſt ſententia, tum gaudio, tum lætitia pleni, hæc melle dulciora ex pectore ſuo emiſerunt: Deo agimus gratias, propterea quod digni facti ſumus, qui hodie propter ſui nominis confeſſionem martyrii palmam conſequamur. Quum ve-

vero eo pervenerint, qui locus ſupplicii erat, capita proni Deo iterum, ac tertio gratias egerunt: Flexis inde genibus capite pleƈtuntur. Hi poſtea martyrum Scyllacenorum nomine fuerunt donati, atque in Scyllacena Diœceſi ex Sacræ Rituum Congregationis Decreto eorum memoria ſingulari colitur obſequio.

Hy-

Hymnus.

FOrtes ob arma milites,
Inſunt quæ corde lucida,
Chriſto ferentes ſuperat
Agathius centurio.
Non verba, neque vincula
Hunc judicum nec aſpera
Pro fortis arce pectoris
Terrere verba quiverint.
Vox nube clara labitur
Quæ robur acre præſtitit,
Vinctis catena duplici
Baptiſma præbet improbis.
Quaterna virga percutit;
Fractis utrimque dentibus,
Vim perdit inde carnifex:
Martyr cervice plectitur.
Nobis, quo mala perpeti,
Quæ ternus hoſtis objicit,
Poſſimus, atque conſequi,
Quod tu, Protector, impetra

Hy-

Hymnus.

PLumbum, quo ſacra pignora
Sunt noſtri clauſa martyris,
Manum devitans barbaram,
Nando Scylacium appulit.
Servatur arca nobilis;
Tropæa digna milite
Nobis qua dona cælitus
Quæcumque fundit Dominus.

IN-

Digitized by Google

INDEX

Chronologicus Epiſcoporum Scylacenorum.

Gaudentius anno forſan recuperatæ ſalutis 465. Pag. 14
Nomina alterius, & tertii Scylacenæ Eccleſiæ Antiſtitis ignorantur. ib.
Zacchæus anno forſan 580. Scylacenam regebat Eccleſiam. 15
Joannes Luſitanus anno 598. 18
Auguſtinus anno 649. 20
Paulus Epiſcopus anno 680. 21
Deſiderantur nomina duorum Epiſcoporum Græcorum Scylacenæ Eccleſiæ. 22
Demetrius quo anno dictæ Eccleſiæ præfuit ignoratur. 27
Theodorus Meſſimerius ſub Comite Rogerio. 28
Johannes de Nicephoro ſub eodem Rogerio. 30
Donatus anno 1109. eidem Eccleſiæ præerat. 31
Petrus electus Epiſcopus anno 1110. ib.

Drogus Epiſcopus erat anno 1140. 32
Sicalrius anno 1145. eidem Eccleſiæ præfuit. 33
Aymerius eodem anno defuncto Sicaltio Epiſcopus electus fuit. 34
Ugo anno 1196. ipſam gubernavit Eccleſiam. *ib.*
Archidiaconus Scylacenus ignoti nominis eligitur anno 1217. 35
Nicolaus eodem anno Epiſcopus. 36
Epiſcopus cujus nomen ignoratur, & tempus definiri non poteſt. 37
Benvenutus ſub Innocentio IV. Pontifice. *ib.*
Richardus creatur Epiſcopus anno 1266. 39
Philippus anno 1286. eamdem Eccleſiam gubernabat. *ib.*
Jordanus, qui obiit anno 1345. 40
Nicolaus anno 1345. Epiſcopus electus. *ib.*
Joannes de Rocca anno forſan 1349. 41
Matthæus Scaleatus ſub Urbano VI. Antiſtes eligitur, & ab eodem fuit ipſa privatus, & ſuffectus. *ib.*
Philippus Criſpus ſub eodem Urbano, quo ad Meſſanenſem Eccleſiam translato Matthæum, quem Eccleſia privarat

Ur-

Urbanus Bonifacius IX. anno 1392. in priſtinum ſtatum reſtituit. 44
Andreas Epiſcopus Potentinus anno 1302. in Eccleſiam Scylacenam translatus. 45
Robertus de Baſilio Epiſcopus anno 1402. 46
Leo Colchurus anno 1413. 47
Franciſcus Alcerius anno 1418. *ib.*
Franciſcus de Cajeta anno 1477. 48
Vincentius de Galeotis anno 1480. 50
Antonius Piſanellus Epiſcopus erat anno 1517. 53
Simon de Galeotis electus Epiſcopus anno 1520. 54
Henricus Borgia anno 1539. *ib.*
Henricus de Villabobo ex Lacerina Eccleſia in Scylacenam translatus anno 1540. 55
Alphonſus anno 1550. 56
Gurlelmus Sirletus ante annum 1580. 57
Marcellus Sirletus, qui diem obiit ſupremum anno 1594. 65
Thomas Sirletus creatus Epiſcopus anno 1594. 66
Paulus Iſareſius a Mirandula anno 1601. 68

Fabritius Sirletus anno 1603. 69
Ludovicus Suphirus anno 1635., qui die ſecundo ab ingreſſa Scylacii expleto ex hac vita migravit. 70
Joſephus Cornius ad annum uſque 1656. Scylacenam rexit Eccleſiam. 71
Rodulphus Dulcinus creatus Epiſcopus anno 1657. ib.
Franciſcus Tirotta anno 1665. 72
Paulus Philocamus anno 1676. 73
Alphonſus de Aloyſio e Montealbore anno 1688. 74
Januarius Criſpinus anno 1694. ib.
Fortunatus Durantus anno 1697. 75
Marcus Antonius Attaſſius anno 1718. 76
Nicolaus Michael Abbatices anno forſan 1733. 79
Franciſcus Xaverius Maria Querat y Aragona obiit diem ſuum anno 1762. 83
Didacus Genuenſis Epiſcopus anno 1762. ex hac vita migravit anno 1778. 92
Nicolaus Notaris adhuc vivens, quem Deus incolumem ſervet diu. 97

VA1
1513401

Digitized by Google

ILL. E REVERENDISS. SIG.

VIncenzo Orſino pubblico Stampatore di queſta Fedeliſſima Città, ſupplicando eſpone a V. S. Illuſtriſs. e Reverendiſs. di voler dare alle ſtampe il libro intitolato *Series Epiſcoporum Scylacenorum Auctore Dominico Feudalio*, e perciò ricorre da V. S. Illuſtriſs. e Reverendiſs. acciò ſi degni di commetterne la reviſione a chi meglio ſtimerà, e l' avrà a grazia ut Deus.

Adm. Rev. Dom. D. Franciſcus Roſſi Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Die 1. *Decembris* 1782.

M. C. DE ANDREA VIC. CAP.
Joſeph Roſsi Can. Dep.

Illuſtriſs. ac Reverendiſs. Dom.

JUſſu tuo, Præſul Excellentiſſime, legi libellum inſcriptum: *Series Epiſcoporum Scylacenorum, auctore Dominico Feudalio*, exquiſita eruditione, omnique diſciplinarum genere refertiſſimum. In eo id potiſſimum ſollertiſſimus Auctor adlaboravit, ut quamplurimis ex tenebricoſa vetuſtate excitatis monumentis, diſcuſſaque veteri caligine, Scylacenos Epiſcopos

pos in meridiana luce collocaret. Hoc ſane opus & illuſtrem Auctori famam, & immortale Scylacenæ Eccleſiæ nomen comparabit. Cum autem nihil in eo ſit, quod aut Religionis jura, aut morum ſanctitatem lædat, typis committi ipſum poſſe cenſeo. Datum Neapoli poſtridie Idus Decembris. An. 1782.

Excellentiæ tuæ Rev.

Addictiſs. atque Humill. famulus
Franciſcus Roſſi.

Attenta Relatione Domini Reviſoris imprimatur. Die 18. *Decembris* 1782.
M. C. DE ANDREA VIC. CAP.
Joſeph Roſsi Can. Dep.

S. R. M.

SIGNORE

VIncenzo Orſino pubblico Stampatore di queſta Voſtra Fedeliſſima Città, ſupplicando eſpone alla M. Voſtra di voler dare alle ſtampe un libro intitolato: *Series Epiſcoporum Scylacenorum Auctore Dominico Feudalio*; Pertanto ne ſupplica a M. V. di commetterne la Reviſione a chi meglio ſtimerà, e l'avrà a grazia quam Deus &c. *Rev.*

Rev. D. Franciſcus Confortius in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor primarius, revideat autographum enunciati Operis, cui ſe ſubſcribat, ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum; & in ſcriptis referat. Datum Neap. die 28. *Novembris* 1782.

I. A. SALERN. C. M.

S. R. M.

Dominicus Feudale exoptat, ut per Majeſtatem Tuam ei liceat Neapolitanis mandare typis *ſeriem Epiſcoporum Scylacenorum*, quam diligenter perſcripſit. Is quidem exiſtimatione facile utetur eruditorum omnium, qui dudum auctores ſunt, ut cujuſque Eccleſiæ hiſtoria inſtituatur ex monumentis, quæ in propriis chartophylaciis aſſervantur. Quum vero ſatis caveat, ne vel Religionis ſanctitati, vel Majeſtatis Tuæ juribus deroget, in ea eſt cauſa, ut poſſit hiſtoriam edere ſuam.

Devinctiſſimus cliens.
Jo: Franciſcus Confortius

Digitized by Google

Die 20. Decembris 1782. Neapoli.

Viſo Reſcripto S. R. Majeſtatis ſub die 10. currentis menſis, & anni, ac Relatione magn. Reviſoris D.Jo. Franc. Conſortii, de commiſſione Rev. Reg. Cappellani Majoris, ordine præfatæ Reg. Maj.

Regalis Cameræ S. Claræ providet, decernit, atque mandat, quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Reviſoris; verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorem facta iterum reviſione affirmetur quod concordat, ſervata forma Regalium Ordinum; ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica. Hoc ſuum.

Illuſtris Marchio Citus Præſes S. R. C. & ceteri Ill. Aularum Præfecti tempore ſubſcrip. imp.

AVENA TARGIANNI

Vidit Fiſcus Reg. Cor.

Reg. Carulli. Athanaſius.

VA1 1513401